XV. 10. 4

13

HISTORIA BELLI PERSICI, GESTI INTER MVRATHEM III. TVRCARVM, ET MAHEMETEM HODABENDE, Perſarum Regem, breuiter ac verè conſcripta:

AB

HENRICO PORSIO IC. SACR. CÆS. Maieſt. ab Epiſtolis in Camera Aulica: & Poëſeos Profeſſore publico in Archigymnaſio Viennenſi.

Eiuſdem,

Itineris Byzantini Libri III.
Carminum Lib. II.
Epigrammatum II.
Poëta.



FRANCOFVRTI
Excudebat Iohannes Wechelus, impenſis Sigiſmundi Feyrabendt.

Cum gratia & priuilegio Cæſarea Maieſt.

M. D. LXXXIII.

ILLVSTRISSIMIS PRINCIPIBVS AC DOMINIS, DOMINIS GVILIELMO ET LVDOVICO, LANDGRAVIIS HASSIÆ, *Comitibus in Catzenelnbogen, Dietz, Ziegenhayn & Nidda, &c. Dominis ſuis clementiſſ.*

CVM vita noſtra, Principes Illuſtriſſimi, nihil aliud ſit, quàm peregrinatio, qua tanquam peregrini ac hoſpites in hoc mundo verſamur, neq; ſtabilem aut perpetuam nobis ſedem polliceri poſſumus, ſed varijs fortunæ viciſſitudinibus non ſecus ac viatores, ſumus obnoxij, donec tandẽ metam itineris, ad quam omnibus horis ac momẽtis propius tendimus, conſequamur, ſupremaquę animę è corpore fiat migratio: Rem vtique conditioni ſuæ ἀνάλογον & conſentaneam faciũt, qui peregrinationibus ſtudent ac delectantur, præſertim cùm ad has natura ipſa quodammodò ferat ac inſtiget: Se-

gniciei verò ac deſidię reprehenſione haud vacant, qui ab iis alieni, & teſtudinum inſtar domi latitantes, in mundo quidem viuunt, mundum tamen, hoc eſt ſuam ipſorum patriam, ſuóſq; conciues neque norunt, neq; noſſe deſiderant. Quod vti liberalibus ac verè humanis ingeniis minimè dignũ eſt: ita laudandi viciſſim ſunt ii, qui genium ſequẽtes pulcerrimo hoc theatro perluſtrando, regionum ſitum ac cultum, gentiũ naturam, conſuetudines, inſtituta, mores, habitum, victum, ac linguas explorando ſeſe oblectant.

Atq; eius rei licet infinita penè ſit vtilitas: in his tamen maximè conſiſtit, quòd nimirum peregrinatione homines (non tamen quiuis, ſed ad eã ſuſcipiendam idonei) fiant ſapientiores, in rebus gerendis magis induſtrii, in cõuerſationibus politicis tolerabiliores, in perferendis fortunæ vicib. æquiores, denique ad omnia officia tam publica quàm priuata vt plurimùm aptiores. Nam cùm maior pars humanæ ſapientiæ proficiſcatur ab experientia: hæc autem peregrinatione plurimùm iuuetur: nemo negabit peregrinando aliquem ſapientiorem reddi. Pythagorã (qui σοφὸς, ut alii, dici meruit, ipſe primus φιλόσοφος eſſe voluit) Ægyptum, Babylonem

bylonem, Cretam, Lacedæmona, Italiam, & Apuliã peragraſſe legimus. Apollonius eius diſcipulus Perſas adiit, Caucaſum pertranſiuit, Albanos, Scythas, Maſſagetas, Indos, Brachmannos vidit, Æthiopiam quoque ac totam ferè Aſiam perluſtrauit. Plato Architam Tarentinum audiuit in ea Italiæ parte, quæ quondam magna Græcia dicta fuit: nauigauit in Siciliam, cùm tamen Athenienſes capitali lege cauiſſent, ne quis Græcorum eam inſulam adiret. Hinc in Ægyptum doctrinę augendę cauſſa profectus eſt. Hi verò vti ſapientia atq; eruditione admirandi ac propè diuini, plurimùm peregrinatione ad illã acquirendam adiuti fuerunt: ita pleroſque, qui pari nomine claruerunt, idem feciſſe & veriſimile eſt, & doceri, ſi opus foret facilè poſſet. Sic peregrinatos legimus Iouem Cretæum, qui terrarum orbẽ quinquies perluſtraſſe ſcribitur: Herculem, Theſeum, Iaſonẽ atq; Argonautas, Vlyſſem πολύτροπον, Æneam ac infinitos alios, quos omnes inclytam famam, ſapientiæq; penum ſibi comparaſſe ſcimus.

Præterea non exigua prudentiæ pars eſt, naturam & mores hominum, & cum quib. quomodo viuendum ſit, noſſe: & vicia quidem alterius gentis agnita in ſemetipſo vel

in patria corrigere, bona verò inſtituta ac mores eódem transferre. Ita quis locorum ac temporum occaſiones perdiſcet, ne ex aliorum iudicio ac relatione, ſæpenumero fallaci, pendere cogatur. Deniq; ſi quicquã eſt, quod noſtræ nos cõditionis admoneat, peregrinatio certè id facit, in qua omnes rerum humanarum caſus, & varia fortunę ludibria ſeſe offerunt.

Porrò quanta peregrinationẽ voluptas tum comitetur, tum ſequatur, dici non poteſt. Nam cùm nemo ſit, niſi admodum deſes ac torpidus, qui nõ cupiditate aliqua res nouas cognoſcendi ac videndi ducatur: in peregrinatione autẽ ſemper occurrat, quod nouum videatur: profectò illam nouitatem varietatemq; mirificè delectare, præſertim vbi quis in famoſis verſatur regionibus, dubium non eſt. Mirè afficimur iis, quæ alio loco, licet incognito, ſiue bellis ſiue alio quopiam memorabili euentu accidiſſe legimus vel audimus: at quantò magis afficere tum gentis, tum loci, vbi illa euenerunt, conſciam inſpectionem exiſtimandum eſt? Quod eò dico, vt ſimul oſtendam, nullum ferè hiſtoricum aut poëtam, quantacunq; is ſedulitate, vbertate ac hypotypoſi rẽ narret, pertexat, oculiſue ſubiicere conetur,

tam

tam felicẽ eſſe, vt exactè intelligatur, quin aſpectus, intellectus dilucidioris, gratia, nonnunquam deſideretur. Nam quę interpretatio, quæ ὑποτύπωσις poteſt eſſe tàm illuſtris, quin eam ocularis inſpectio ſuperet? *Segnius irritant*, inquit Horatius, *animos demiſſa per aures, Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus*. Poſſem hoc meo exemplo docere, cui hiſtoricos aut poëtas legenti, eos præſertim, qui de rebus Hungaricis, Turcicis, Græcis, deq; inſulis Archipelagi ſcripſerunt, iidẽ multò planiores, imò planiſſimi, inſpectis magna ex parte locis illis, exiſtunt. Qua ex re haud ſcio, maiórne vtilitas an voluptas obueniat. Minimè quidẽ nego, imò expertus dico (quamuis iter meũ tanquam inuſitatæ cuiuſdam longitudinis aut fortunæ, nequaquam effero) plurima peregrinantibus occurrere incommoda, pericula ac moleſtias: veluti famem, deprędationem, æſtum, frigus, imbres, tempeſtates, naufragia, mortem deniq; ipſam: vbi ſanè voluptas illa ſubticet: Verùm ſemper melioris fortunæ ſpe alitur, ſeq; tandem exerẽs, omnia illa diſcutit ac ſuperat, tum maximè, vbi in portũ exhauſtis laborib. ac periculis peruenitur, quorũ deinde recordatio ſupra modum iucunda eſt & incredibilis.

Cæterùm cùm non omnium peregrinationum idem ſit fructus eademq; ratio: illæ potiùs deligendæ ſunt, è quibus plus emolumenti non ſolùm ad noſmetipſos, verùm ad alios quoq; promanet. Turcicam verò, ſi cui obtingere poteſt, eiuſmodi eſſe, nemo opinor negabit. Ea enim gens cùm implacato Chriſtiani nominis odio flagrãs ad fores noſtras continuò excubet, perpetuaſq; cædes, rapinas, incendia ac bella aduerſum nos meditetur: cognoſcenda vtiq; eſt penitius (nam magna victoriæ pars eſt hoſtem noſſe) exploranda, inquã, eius ingenia, mores, exercitia, inſtituta, diſciplina militaris, robur, imperium ac regendi modus, cultus & alia: quæ cognita haud difficilem nobis, imò expeditam ac ſalubrem belligerandi rationem ac conſilia monſtrabunt, & arma contra hoſtes ipſos promptiſſima ſubminiſtrabunt. Quam profectò vtilitatem ſatis metiri verbiſq; exæquare difficilimum foret. Et quis nõ impensè afficiatur, tranſeundo videndoq; loca iſta, in quibus tot tantaq; bella, prælia ac mutationes cõtigerunt, Vngariam nimirũ, Seruiam, Bulgariam, Thraciam? Quis non miretur, Byzantiũ, alteram & nouam Romam, olim Romanorũ Græcorumq;, nunc Turcorum Impp. regiam, olim

olim ſplendore ac magnificentia nõ ſolùm nulli vſquam vrbi cedentẽ, ſed præcipuam ac ſummam, iam fœdè (præter templa Mahometica, domoſq; Regis ac Procerum inſigniores) obſcuratam iacere? qua Orientale nitebatur Imperium, quæ tot obſidiones atq; oppugnationes, tot Regum decertantium vices, inteſtina quoq; eaq; grauiſſima diſſidia pertulit, vt ſola eius hiſtoria immenſam Iliadẽ efficiat. Nónne Boſphori Thracii, Ponti Euxini, & Hell[illegible]ti famoſa ſunt & in hiſtoriis vulgata nomina? Cui Troianæ vrbis nomen eſt ignotum? De qua hoc addàm quòd licet aliqui eam ſe vidiſſe aſſerant, tamen fallantur, cùm ne veſtigia quidem certa ſuperſint. Reliquias murorum, quæ in Sigæo promontorio hodiè conſpiciuntur, putant ex arce Troiana ſupereſſe: cùm ex autoribus cõſtet, neq; vrbem, neq; arcem maritimam, ſed in penitiore Phrygiæ regione ſitam fuiſſe. Quin Strabo Geographus antiquus de ſitu eius proprio, ſua etiamnum ætate dubitauit: & Ouidius, ibidem cùm in Pontum relegaretur, preteruectus, ea quidẽ in re minimè fabuloſus, *Nunc ſeges eſt, vbi Troia fuit*: aliaque in eandem ſententiam ſcribit. Inueni tamen, Conſtantinum Magnũ relicta Roma in Sigæo pro-

montorio, vbi fuit Aiantium, iecisse fundamenta vrbis pro ſe condendæ, in qua ſedem figere voluit; poſtea verò intellecto Byzantii commodiore ſitu, opus incoatum deſeruiſſe: vnde veſtigia illa extare prorſus perſuaſum habeo. Quòd verò plurimi eius ſunt opinionis, marmora & columnas conſtruendis ornandiſq; Turcorum Mauſoleis adhibita, è ruinis Troiæ effoſſa ac Byzantium aſportata eſſe, ego quidẽ illis aſſentiri haud poſſum. Tantum enim abeſt, Græcos alioqui magnificentiæ tum aliis in rebus tum in ædificiis ſtudioſos, marmora illa elegantiſſima tot ſeculis ita reliquiſſe abiecta, vt ea ad ſuarum potius vſum ac ornamentũ ædium adhibituri, quàm vetuſtate corrumpi, aut hoſtibus cedere paſſuri fuiſſent.

Sed ea è ruderibus Cizyci vrbis erui verius eſt. Præterea quis Grçciã, florem quondam & delicias mundi, artiumq; ac ſapientiæ matrem, quis inſulas celeberrimas maris Ægæi, Ionij, Adriatici, &, ſi licet, aliorum quoq; marium perluſtrans, non ſumma afficiatur voluptate, modò poëtarũ & hiſtoricorum vtriusq; linguæ ſcripta vel modicè deguſtauerit? Verùm qui antiquam nõ modò Græciam, ſed & Bulgariam, Seruiam ac Thraciam requiret, admodum falletur, eò

quòd

quòd vix vmbra veteris illius ſplendoris, gentibus iſtis ſub miſerabile redactis iugũ, ſuperſit. Vt tamen de veteri Græcia, quæ mea eſt opinio, breuiter adijciam: Quantumuis inſularum, regionum atq; vrbium pulcritudine, fertilitate & opibus ſatis fuiſſe inſignem libenter credam: tamen illius potentiæ & amplitudinis, qualis ab autoribus decantatur, & ad cœlũ vſq; extollitur, haud fuiſſe: ſed certamen atq; cumulus laudum ex nimio potius amore patriæ in ſcriptoribus profectus videtur. Quod vt vno atq; altero exemplo doceam: Creta, Iouis patria, maiori parte à nobis perluſtrata, centum vrbes, & quidem magnas habuiſſe ſcribitur: Centum vrbes habitant magnas, vberrima regna, inquit Virg. vnde & Hecatompolis vocata fuit (quamuis Homerus eam ἐννενηκοντάπολιν in Odyſſ. à nónaginta ciuitatibus nuncupauerit, quòd Leucia poſt bellum Troiànum decem deſtruxerit quæ hodie in tres, easq; non amplas ciuitates redacta eſt. Cõplectitur circumferentia totius inſulæ, ſecũdum figuram oblongæ, non vltra 100 milliaria germ. aliàs montiũ iugis aſperæ. Quales igitur vrbes iſtæ, quantæ & vbi fuerint, ego mirari ſatis nequeo, cũ ne veſtigia quidem illarum appareant, præterquam Sit-

montorio, vbi fuit Aiantium, iecisse fundamenta vrbis pro ſe condendę, in qua ſedem figere voluit; poſtea verò intellecto Byzantii commodiore ſitu, opus incoatum deſeruiſſe: vnde veſtigia illa extare prorſus perſuaſum habeo. Quòd verò plurimi eius ſunt opinionis, marmora & columnas conſtruendis ornandiſq; Turcorum Mauſoleis adhibita, è ruinis Troiæ effoſſa ac Byzantium aſportata eſſe, ego quidē illis aſſentiri haud poſſum. Tantum enim abeſt, Græcos alioqui magnificentiæ tum aliis in rebus tum in ædificiis ſtudioſos, marmora illa elegantiſſima tot ſeculis ita reliquiſſe abiecta, vt ea ad ſuarum potius vſum ac ornamentū ædium adhibituri, quàm vetuſtate corrumpi, aut hoſtibus cedere paſſuri fuiſſent.

Sed ea è ruderibus Cizyci vrbis erui verius eſt. Præterea quis Gręciā, florem quondam & delicias mundi, artiumq; ac ſapientiæ matrem, quis inſulas celeberrimas maris Ægæi, Ionij, Adriatici, &, ſi licet, aliorum quoq; marium perluſtrans, non ſumma afficiatur voluptate, modò poëtarū & hiſtoricorum vtriusq; linguæ ſcripta vel modicè deguſtauerit? Verùm qui antiquam nō modò Græciam, ſed & Bulgariam, Seruiam ac Thraciam requiret, admodum falletur, eò

quòd vix vmbra veteris illius ſplendoris, gentibus iſtis ſub miſerabile redactis iugũ, ſuperſit. Vt tamen de veteri Græcia, quæ mea eſt opinio, breuiter adijciam: Quantumuis inſularum, regionum atq; vrbium pulcritudine, fertilitate & opibus ſatis fuiſſe inſignem libenter credam: tamen illius potentiæ & amplitudinis, qualis ab autoribus decantatur, & ad cœlũ vſq; extollitur, haud fuiſſe: ſed certamen atq; cumulus laudum ex nimio potius amore patriæ in ſcriptoribus profectus videtur. Quod vt vno atq; altero exemplo doceam: Creta, Iouis patria, maiori parte à nobis perluſtrata, centum vrbes, & quidem magnas habuiſſe ſcribitur: Centum vrbes habitant magnas, vberrima regna, inquit Virg. vnde & Hecatompolis vocata fuit (quamuis Homerus eam ἐνενηκοντόπολιν in Odyſſ. à nonaginta ciuitatibus nuncupauerit, quòd Leucia poſt bellum Troianum decem deſtruxerit quæ hodie in tres, caſq; non amplas ciuitates redacta eſt. Cõplectitur circumferentia totius inſulæ, ſecũdum figuram oblongæ, non vltra 100 milliaria germ. aliàs montiũ iugis aſperæ. Quales igitur vrbes iſtæ, quantæ & vbi fuerint, ego mirari ſatis nequeo, cũ ne veſtigia quidem illarum appareant, præterquam Sit-

tiæ, Caſtelli noui (ſiue potiùs veteris, diruti hodie) quod Gnoſſum, regum Cretenſium ſedem: & Metropoleos (quam Cortynam fuiſſe arbitror) non procul à Labiryntho (quem ſaxeo monti inciſum, & à Dædalo ac Minotauro celebrem, ſimiliter ingreſſi ſumus) diſtantium. Dèlus, Apollinis ac Dianę patria, inſula fuit (quamuis duplex, maior & minor) vnius ſaltem vrbeculæ, iam prorſus in ruinis iacentis ac deſolatæ. Neque mons Cynthus eius eſt altitudinis, vt inſulam à Sole illuſtratus, quemadmodum ſcribunt, obumbret. Si quis ergo talem inſulã aut vrbem teneret, protinus ab Homero vocitatus eſt βασιλεὺς, ἄρχων, ἄναξ, ποιμὴν λαῶν, alijsq; ſummis nominibus. Corcyræ Rex fuit Alcinous, cuius vrbem, regiam & hortos Homerus ita deſcribit, vt nihil ferè excogitari ſplendidius aut amœnius poſſit.

Ithacæ, viliſſimæ inſulæ dominus fuit Vlyſſes: quam Cicero aſperrimis ſaxulis, tanquam nidulum affixam verè ſcribit. Quid Priamus, quem Maro tot quondam populis terriſq; ſuperbum Regnatorem Aſiæ vocat, præter vrbem Troiæ & Phrygiã; minimam Aſię partem tenuit? Quid, quòd Iouem cùm ſolius Cretæ rex eſſet, non ſolùm orbis terrarum dominum, ſed Deum quoq; ſummũ ethni-

ethnici fecerint? E quibus apparet, tot tantosq; reges ac duces Græcorum ab Homero alijsq; memoratos, vix regulos fuiſſe. Sed longiùs digredior, epiſtolæq; modum excedo.

Itaq; peregrinationem meam, maritimã & terreſtrẽ tam in via, quàm ſucciſiuis quibuſdam horis (ne & tempus & ſumptus perderem) breuiter exaratam in tres libros (ſiue potius libellos) redegi, in quibus præcipua, perq; iter illud memoratu digniora attigi, numeriſq; ſum cõplexus: neq; ſolũ præſentem cuiusq; loci aut populi faciẽ ſtatúmve, ſed præteritum quoq; notaui, atque ita inſigniores regni Hungarici, Turcici atq; Græci res ac mutationes ex varijs hiſtorijs collectas inſerui, idq; ſuccinctiſſimè, neq; (vt opinor) prorſus ieiunè: vt Opuſculũ hoc non tã hodœporicum, quàm hiſtoricum videri poſſit. Quod licet elaboratiùs prodire poterat: tamen cùm omnis ferè huic operi vacandi mihi duabus continuè diſtricto functionibus, præciſa ſit anſa: volui illud hoc tempore, perſuaſus ab amicis, in lucem edere, veſtriſq; Illuſtriſſimis Celſitudinibus dedicare, ea quidem cum ſpe, fore & hoc opuſculum, & alia mea Carmina atq; Epigrammata (quibus Turcarum ritus, mores, conſue-

tudines & alia breuiter ac feſtiuè conatus ſum exprimere) nec non narrationem belli Perſici, veſtris Celſitudinibus nec ingrata nec iniucũda. Quibus me meaq; omnia humiliter dedo ac commendo.

Viennæ, ex Camera Aulica. Cal. Febr. 83.

Illuſtriſsimarum veſtrarum Celſitudinum

humilimus Cliens

Henricus Porſius Fridbergenſis D. Sac. Cæſ. Maieſt. ab epiſtolis in Camera aulica: & Poëſeos Profeſſor in Archigymnaſio Viennenſi.

IOANNES
SAMBVCVS
PORSIO
ſuo S.

NArratiunculas tuas de duûm potentiſſ. Regum barbarorum nullo diũ certis exitu rebus aut conuerſionibus vti voluiſti, percurri. Amo veritatem, quæ cùm propriè ſe circumſiſtentibus nititur, facilè aſſenſum impetrat. Rectè aliquot peregrinis vocibus ſuas expoſitiunculas adhibuiſti, quam diligentiã, ſeu melius induſtriam hodie iure in multis deſideramus. Cæterùm ſi te πρηκτῆρα τούτων τῶν πραγμάτων, ἢ μάρτυρ' αὐτόπτην *eſſe contigiſſet: næ tu pleraque aliter atque copioſius,* εἰλικρινέστερον *duntaxat pronunciaſſes: nam egregiam pertexendi facultatem, qui ad vtrunque ſtyli genus expeditũ & numeroſum excellis, quis tibi non libenter tribuat? Legentur tamen hæc affecta, vt quæq; ordine annotaſti. Vtinã verò aliquando Barbaræ illæ acies ita infeſtè corruant, & vt cum veteri Comico verbum permutem, arma armis ferruminent admodum, vt mutuis vulneribus depoſiti confectiq; iaceant, nobisq; ſpeculam nuper domeſtica rabie oſtenſam excidio proprio afferant pleniorem:* ἀλλὰ μὲν τοῦτο ἐν γούνασι θεῶν, *vt cætera. Vale, ac Magnif. communi noſtro Patrono*

Domino Ioachimo à Sintzendorf &c. de rebus Chriſtianorum pro Rudolpho II. ſuis Byzantinis internunciis & exquiſitis obſeruationibus optimè merito ſalutem. Vienna.

BREVIS

BREVIS AC VERA NARRATIO BELLI PERSICI, GESTI inter Murathem III. Turcarum, & Mehemetem Hodabende, Perſarum Regem,

DEDICATA

MAGNIFICIS AC CLARIſſimis viris, Henrico Caniſio, & Dauidi Lucano ICtis, Illuſtriſſimorum Haſſiæ Lantgrauiorum Conſiliariis.

DE bello Perſico in quinquennium continuum iam protracto, Viri Magnifici, Mecœnates colēdi, varios ac incertos paſſim rumores ſparſos memini, eóſque tales, qui grata quadam opinione & aures & animos hominum ita compleuerunt, vt de crebris ac grandi-

bus Perſarum victoriis, totidemq́; Turcarũ cladibus, ac proinde labefactatis & acciſis horum viribus, omniq́; adeò proſtrata potentia vulgo perſuaſum fuerit. Quæ opinio eò cupidiùs eſt arrepta & acceptata, quò gratior fuit, cùm ea quæ cupimus, libenter audiamus & credamus: Corrigenda tamen, & ex animis euellenda, utpote à veritate alienior, ac ſecuritatem pernicioſam aliquandoq́; pœnitendam inuectura, idque remedio veritatis, & ipſius hiſtoriæ probatiſſima narratione. Atq; utinam ita res haberet, eaq́; omnia quæ rumores iſti Turcis ominabantur, ſic comperta cerneremus: profectò fortunam iſtam non modò nõ inuidendam Chriſtiano orbi aut extenuandam, ſed plenis buccis prædicandã, & ad Deum autorem grato animo referendam quis noſtrûm, niſi improbiſſimus, negaret? Sed ne omnem vulgatis iſtis rumoribus fidem detrahere, ac tot hominũ, qui illos vti minimè dubios, aut diuulgarũt aut probarũt, opponere autoritati me velle videar: fateor, multa quidem veritati congruere, plura tamen, & quod potiſſimũ eſt, eneruati ac nutantis imperij Turcici perſuaſionẽ, à vero quàm longiſſimè recedere. Tantùm enim abeſt Turcos eneruatos priſti-

priſtinaq; potentia exutos eſſe, vt pacem aliquoties per legatos Perſicos tolerabilibus ſanè conditionibus petitã, vti conſtat, Turcarum Imperator reſpuerit, ipſoſq; legatos inſolentiùs, ac præter religionem iſtius iuris gentium tractarit. Quod vtique facturus neutiquam fuiſſet, ſi Perſam viribus ſuperiorem ſibiq; formidabilẽ agnoſceret. Dubium quidem non eſt, maximam multitudinem Turcorum, atq; adeò vltra decẽ myriades, partim fame, partim in conflictibus periiſſe. Sed hæc iactura tanti apud ipſos nõ fit, vt eam vel querelis proſequantur, vel aliquam regni ſui inclinationem, nedum interitum inde metuant. Nam quanta gente valeat, qui magnam Africæ, maiorem Europæ, maximam Aſiæ partem tenet, facile eſt cogitare, cùm numerus ſolummodo eorum, quos perpetuis ſtipendiis tam belli quàm pacis tempore (licèt non omnes officiis militaribus idoneos) alit, eóſque Chriſtianorum ſobolem, aliquot centena millia exæquet. Turcos natiuos, & hoſce non imbelles prætereundo. Iam verò, vt de mutuis Perſarum cladibus taceam, vter quæſo durante bello plus occupavit? vter alteri plus territorii (nam de hoc potiſſimùm geri bellum videtur) eripuit? Perſa, quem Turcæ

ereptum gloriari poſſit, ne agrum quidem aut pagum habet. Turca in ipſiuſmet Perſæ ditione interiore non modò caſtrum munitiſſimum, Cars nuncupatum extruxit, ſed regionem ampliſſimam diuerſis in locis (licèt hoc belli tempore magna ex parte deſolatam ac deſertam) occupauit, atq; etiamnum tenet. Quid? quòd Turca pacem petitam aliter inire conſtanter detrectat, niſi prouincia Syruan ſiue Media, initio quidẽ belli à Turcis capta, ſed paulò pòſt amiſſa, & adhuc in Perſarum poteſtate exiſtens: nec non omne id quod ſemel captum, ac pede ſuo, vti ait, contactũ eſt (licèt amiſſum poſtea) ſibi reſtituatur? Atq; hîc hæret aqua: ceſſitque in tantum Perſa, vt feudi nomine & tanquam vaſallus, ſeu beneficiarius poſſeſſionem prouinciæ illius petierit: quod nec ipſum Turcæ adhuc ſatisfacit. Verum & hoc eſt, Perſam licèt militum numero inferiorem, fortitudine tamen parem aut propè maiorem, cunctando magis hoſtem oppugnare, cùm exuſtis ac vaſtatis longè lateque ſuis etiam regionibus intra receptacula tutiora ſe contineat, hoſtiq; anſam ſequendi ob longitudinem itineris, ac commeatuum aſportãdorum difficultatem atq; inopiam, præcidat, aut longiùs euagantem carpat, inſidiiſq;

ſidiiſq; & plurimùm pugnet: qua de cauſſa prælia & conflictus rariores, plerunque tamen cum detrimento Turcarum euenerunt.

Porrò ut hiſtoria huius belli luculentiùs ob oculos ponatur, à primis occaſionibus cauſſisq; impulſiuis eam deducam, atq; ita referam, vti ea ab hominibus fide dignis, qui magna ex parte reb. geſtis interfuerunt, accepta, adeoq; è ſecretis Turcorum explorata, ac temporis progreſſu conſtantibusq; rumoribus veriſſima comprobata eſt: idq; breuiſſimè, cùm ſingulas & locorum & rerum geſtarum circumſtantias exactè perſequi ſuperuacaneùm potiùs, ac laborioſum mihi aliis quàm plurimis diſtricto negociis, quàm vtile aut neceſſarium ſit futurum. Ac primò quidem manifeſtum eſt, acerrimis atq; implacatis odiis Turcos ac Perſas diſſidere, qui licèt in hoc conueniant, vt Mahometum tanquam primarium ac præcipuũ Dei nuncium utrinque colant, eiuſque Coranum (ſed in aliquibus diuerſum) amplectantur: tamen de numero Sanctorum ſiue interpretũ Corani acerrimè diſſentiunt, quorum Turci vnicum tantùm, Ali nimirum: Perſæ præter hunc alios duos, Omar & Ebubegker magna veneratione tanquã

diuos proſequuntur. Quæ quidem præcipua diſſenſionis cauſſa eſt, vnde ſeſe mutuò vel infeſtioribus vel ſaltem non leuioribus odijs inſectantur, ac ipſoſmet Chriſtianos. Serpebat autem ante hoc bellum ſecta Perſica in Turciam quoq;, & Conſtantinopolin vſq; penetrabat, adeò vt Turcorũ haud pauci tum apertè deficientes ad Perſam transfugerent, tum religioni illi clàm fauerent. Cui malo primores Turci, & præcipuè clerus, tempeſtiuè occurrendum, grauiorisq; periculi cauſſam auertendam cenſentes, quibus potuere rationibus Imperatorem ad inferendum Perſis bellũ, hæreſinq; illam profligandam atq; oppugnandam, inducere conati ſunt, fingentes apparuiſſe ſibi viſiones (quibus illa gens multũ tribuit) quæ inclinationem regno iſti atq; extremã ruinam denuncient, niſi religio acriùs defendatur, hæretici armis inuadantur, animæq; iam ſponte in perniciem ruentes ſeruentur: atq; hoc Deum ita velle, nec cœptis in cauſſa tam pia tamq; neceſſaria defuturũ. Chriſtianos quidem corporum eſſe hoſtes: Perſas verò animarum quoq;: ideoq; bellũ his omnino mouendum, quibus deuictis aut ſaltẽ debilitatis in Europæos abſq; vllo impedimento vires & arma conuerti poſſint.

Hæc

Hæc & alia diligenter Imperatori inculcabant ſacerdotes eius Imam & Hoggia: Quibus acceſſerunt Begorum in finibus Perſicis conſtitutorum de iniurijs & excurſibus hoſtiū frequentes querelæ. Interim quoq; Begus quidam, militibus aliquot pręfectus, ad Iſmaëlem Schah Perſarum Regem deſciuit: cuius exemplum & alij plures ſecuti ſunt.

Nec leues, imò fortiſſimos ſtimulos ſubdebat, facileq; bellum ſuſcipiendum perſuadebat (quęmadmodum rariſſima Turcis vbiq; pax eſt) huic genti propemodum pęculiaris, dominandi ac imperij proferendi cupiditas, quæ ex tot tantisq; maiorum ſucceſſibus ac victorijs orta, pro ſua potentia non infelices euentus Murathi pollicebatur.

Itaq; Muſtafam Baſſam, non ita pridem Cypro capta celebrē, virum peritia rei bellicæ inſignem maturiq; conſilij, ſupremum belli ducem deſignat, omniq; imperio militari inſtruit, acinace quoq; precioſiſſimo accingit, duoq; vexilla regia tradit. Is 5. April. anni 78. Chryſopolin, hodie Scutari, ſitum in promontorio Damalico Aſiæ traijcit, ſolenniter ac honorificè à primoribus vniuerſæ aulæ deductus, reliquo exercitu

diuerſis in partibus Aſiæ interioris ipſum expectante, qui poſtea cõgregatus bis centena millia adæquaſſe putatur. Continuatis igitur itineribus ſub initium Auguſti confinia Perſica attingit, & in vrbe quadam Aſſyriæ, Arſrom vocata, ſubſiſtit, reliquas copias vndecunq; excitas operiens.

Eodẽ tempore Dogkmak Sultan, princeps quidam Perſicus, deſignatus generalis Perſarum dux (qui legatum quondã apud Selymum, regiſ ſui nomine egerat) confinia tenuit, 25 millibus armatorum inſtructus, rebusq; gnauiter aduerſus hoſtes gerendis intentus. Turcæ interim Conſtantinopoli alijsq; in locis proceſſiones frequentant, precationesq; ſolennes pro felici huius belli ſucceſſu celebrant.

Accidit igitur, vt exercitibus haud procul diſiunctis, Dogkmak Sultan cupiditate ciendi conflictus ſæpius excurrens hoſtem laceſſeret. Cumq; aliquando in Deruis Begum, qui prima Turcorum agmina ſeruabat, incidiſſet, facilè eum ad conflictandũ, vtpote paucioribus oſtenſis copijs, induxit.

Incoato conflictu plures ſubinde Perſarum, reliquusq; adeò ſuccedit exercitus, ac Turcos fortiter adoriuntur, & in tantas anguſtias cogunt, vt parũ abfuerit, quin Deruis Beg

uis Beg cum ſuis omnibus fuiſſet oppreſſus, niſi Muſtafa Baſſa maturè cognito periculo tres alios Begos ſubmiſiſſet: quibus vnitis acris denuo pugna fuit excitata, tanto cum feruore, vt nec Perſæ cederent, quippe in certam victoriæ ſpem multis indicijs erecti: nec Turcæ, qui recentibus ac iunctis freti copijs hoſtē iam defeſſum facilè ſe oppreſſuros putabant. Fortiter quidem dimicantes Perſæ ad veſperam vſq; prælium protraxerunt, donec tandem & laſſitudine & pluuia ſuperueniente abſtracti receſſerunt, dubia vtrinq; victoria. Tanta aliquãtiſper virtute Turcas repulerunt, vt caſtris propè imminerent, feruntq; ipſum Muſtafam ſemel atq; iterum armaturam ſuam popoſciſſe, atq; vniuerſum exercitum educturum fuiſſe. Verùm & nox inſtans, & pluuia ſatis effuſa, progrediendi animum mutarunt. Vtrinq; 13 millia, vel vt alij 15, alij 18 occubuiſſe, multò tamen maiore cum Turcorum internecione (inter quos aliquot Sangiachi & præcipui duces deſiderati, & mille quingenti circiter fuerunt capti) & literis & conſtanti rumore poſtea confirmatum eſt.

Poſt hanc pugnam in Auguſto menſe factam aliquandiu ex vtraq; parte quieuerũt: qua de cauſſa Dogkmak ſuſpicionem col-

luſionis cum hoſte apud nouitium Regem Mehemet Chódabende ferebatur incurriſſe. Succeſſit hic Iſmaëli Schah, fratri ex patre Tamaſo, ſub auſpiciis hujus belli veneno, vti perhibent, à ſorore ſublato, decrepitus iam & viſu orbatus. Reliquerat Iſmaël filium impuberem: vnde in Mehemetem tota belli moles vnà cum regno deuoluta fuit.

Eo tempore ſumma annonæ penuria in Turcorũ caſtris incidit, unde magna multitudo fame periit.

Facto poſtea excurſu Muſtafa 300. Perſas cepit, omnes tamen obſcuræ ſortis, quorum aliqui Conſtantinopolin fuerunt adducti.

Vltra Pontũ populi ſunt Iberi ſiue Georgiani, inter Colchida & Armeniam, Caucaſeis montibus circumdati, qui Chriſtianam quoque religionem amplectuntur, à Græca nonnihil diuerſam. Bellicoſi ſunt, ac diuerſis Regulis parent, totoq; belli tempore non exiguas Perſarum Regi ſuppetias tulerunt. Horum aliqui confiniis Turcæ vicini ſeſe in clientelam eius dediderunt.

Interim Turci aliquoties excurrẽdo plures hoſtium ceperunt, quorũ 400. aut 500. unà cum prioribus captiuis Muſtafa truncari fe-

cari fecit, miſſis Imperatori duabus veſtibus Perſicis artę ac pictura eleganter elaboratis.

Diebus hiſce prælium illud, cuius ſuperiùs mentio facta eſt, eo quo retulimus modo, confirmatum vulgo Byzantii fuit, Turcis ipſis acceptam cladem minimè quidem diffitentibus ſed de numero cæſorum diuerſimodè ſentientibus. Plerique enim ex ſola ipſorum parte 12. adeoque 15. millia cecidiſſe affirmabant: tandemque noua per mercatores quoſdam Italos, Galatæ contra Byzantium ſitæ tum commorantes, plurimaque & interdum ne veriſimilia quidem commentos, in Europam ſparſa, numerum iſtum, plurimorum cum aſſenſu duplo aut triplo auxerunt.

Sub finem Septembris Turci haud difficulter, ac citra memorabile damnum occuparunt Tiflis, item Tſchaldung, vrbes ſitas inter Georgianorũ populos & Syrtuan: idq; ductu Oſman Baſſæ, quem Perſæ Demirogli ſiue filiũ ferri cognominare ſolent. His rerum occaſionibus Muſtafa de ædificanda arce Cars conſilium cepit. Sed hoc tantò difficiliùs effectum iri pleriq; credebant, quantò Perſę grauiora pericula ac da-

mna inde metuentes, cunctis id virib. prohibituri viderentur. Ita enim de extructione eius arcis perſuaſum erat, ut diceretur, tot idem capitibus quot lapidibus arcem illam conſtituram: quæ tamen abſque vllo impedimento, ſumma omnium cum admiratione poſtea erecta & abſoluta fuit.

Interim verò cum exercitu mouet in Syruan, olim Mediam dictam, tum temporis ſub ditione Perſarum. Cæterùm in eo itinere traiiciendus erat fluuius quidam, quē Perſæ, profectione illa per indicium intellecta, ſtipitibus ac truncis ſubdolè compleuerant, ſummamq; hoſtibus tranſmittendi difficultatem obiecerant, ita ut aliquot millia hominum & camelorū in traiectu perierint, partim ſubmerſa, partim ab hoſtibus aſtu capta & occiſa.

Octaua die Octobris Mehemet Baſſa, ſupremus Vezirius Byzantii delectum egit 200 equitum, quos Beglerbego Wanenſi miſit.

Eodem menſe infeſtis armis cōcurrerunt Muſtafa Baſſa & Caraham Perſa, conflictumque cruentum miſcuerunt, in quo 10 utrinque millia aut fortaſſe plura occubuerunt. Anceps fuit victoria, quamuis Turcorum cæſorum numerus iterū fuerit maior.

Paulò

Paulò pòſt Beglerbegus-Wanenſis cum copiis ſuis ad Tauriſum vſque excurrit, quę eſt regia Perſæ prædamque ſatis ingentem coëgit. Edicitur quoq; Beglerbegis Damaſci, Alepi & Natoliæ, ut celeriter copias ſuas educant, ac reliquo exercitui coniungant.

Muſtafa nihil deterritus clade ſemel atq; iterum accepta progreditur, vrbemq; ac totam prouinciam Syruan, Perſis cedentibus magis quàm reſiſtentibus capit. Hi antè potiora ſua bona auexerant, vrbemque ac alia oppida longo tractu ipſi vaſtarunt atq; exuſſerunt.

Iamq; ingruente hyeme de figendis hybernis cogitabat Muſtafa, & ſubſtituto Oſmano in Syruan cum præſidio 10 millium, ipſe ad vrbem Arſrom redit.

Allata tum fuerunt Conſtantinoplin 8 tympana Perſica, è poſtremo conflictu recepta: indiéſque ſuperiora illa confirmabantur, quibus hoc addebatur: paucis diebus ante occupatam urbem Syruan Perſas aliquantiſper, haud tamen exiguo ſuo cum damno reſtitiſſe.

Tum temporis Tartarorum quoq; Rex, Turcæ tributarius, auxilia obtulit, eaq; fratre ſuo duce poſtea miſit.

Beglerbegis, quos antea excitos fuiſſe di-

ximus, quò minùs expeditionem maturarent, obſtitit hyems, maiorq; pars exercitus dimiſſa tum fuit.

Contigit autem, vt dum ingenti commeatuum penuria exercitus Muſtafæ laboraret, aliiſq; permultis difficultatibus premeretur, tumultus inter Ianizaros & Spahos (qui equeſtrem agũt militiam, noſtriſq; nobilibus æquiparantur, ſuntq; horum ordines quinque, ſtipendiorũ diuerſitate diſtincti) coortus fuerit, minùs tamen cruentus, ſparſæq; paſſim querimoniæ, & conuicia iacta in Muſtafam tanquam auarum, ac priuatis ſolùm commodis, poſthabita militum cura, intentum. Augebat inuidiam & indignationem clades ſociorum toties ſub infelici Muſtafæ ductu ingeminata.

29. Decemb. duo Curſores Conſtantinopolin venerunt, affirmantes, Perſas ingenti numero in Syruan reuerſos, præliúmque cum Turcis geſſiſſe. His Caytam Baſſam cum aliquot millibus ſuccurriſſe quidem, ſed in pugna cecidiſſe. Maturè quoq; aduentaſſe Tatarhani copias, ſine quarum ſubſidio parum abfuerit, quin ad vnum omnes trucidati, ipſaq; vrbs in manus Perſarum redacta rurſum fuiſſet. Oſman Baſſan in periculis haud leuibus conſtitutum viriliter

liter ſe hoſti oppoſuiſſe, dum ſuppetiæ ſecutæ ſint.

Eo in prælio vltra 10 millia occubuiſſe, victoria penes Perſas ſtante. Captus fuit Perſa quidam Sulagk Huſſaim, qui ad Mehemetem Baſſam perductus indicauit, cladem vtrinque fuiſſe exæquatam, licèt poſtea ſecus compertum ſit.

Rebus ita vertentibus noua edictio facta eſt in Aſia minore & Caramania, olim Cilicia, euocatique ſunt ſubitò 8 Sangiacbegi (qui ſub ſe habent tum equeſtres tum pedeſtres copias, noſtris æquiparandi Comitibus) Imperator quoq; 300 tormenta, à falconibus denominata, pariterq; argenti vim magnam ſubminiſtrat. Perſa nec ipſe rerũ gerendarũ immemor, copias indies adauget, & quantumuis ſera iam hyeme 80 circiter millia cogit. Cumq; Tartari ingenti multitudine ſeſe Turcis coniunxiſſent, prælium vtrinq; acerrimum fuit commiſſum, in quo 30. millia Tartarorum ac Turcorum trucidata perhibebantur, capto ipſorũ duce, fratre ipſius Regis. Oſman Baſſa infelicem expertus pugnam fuga ſibi conſulit, auectis ſecum quibuſdam tormentis, & ad Georgianum quendam Schemhali dictũ, qui paulò antè ad Turcam cum aliis defe-

cerat, cõfugit, cuius filiam in vxorem poſtea duxit: hinc exigua cum ſuorum manu ad Demircapi ſiue portas ferreas, in anguſtiis Caucaſi montis ſitas, ſeſe confert. Ea victoria potiti Perſæ prouinciam Syruan integrã receperũt, vrbemq́; tum opibus tum munitionibus inſtructiſſimam diripuerũt, ac propugnacula à Muſtafa extrui cœpta, deſtruxerunt, muríſque nudatam toto deinceps belli tempore, retinuerunt & adhuc tenent. Turci quidem eam cladem extenuare ſunt conati, ſed pluribus indiciis atq; nunciis eam haud vulgarem fuiſſe conſtat.

Vtque hoc primo belli anno plura, ſequentibus rariſſima prælia & conflictus cõtigerunt: ita Turcorũ clades in vniuerſum 70 ferè millia æquaſſe, tam eorum qui in præliis, quàm qui fame perierunt: Perſa vltra 25 millia ad ſummum non amiſiſſe perhibetur.

Anno ſequenti 79. Turcarum Imp. omnibus viribus redintegraturus iſtud bellum, per Aſiam & Græciam totumq́; tractum ad Albam vſq; Græcam ſub veris initium ſeuera cum interminatione Beglerbegis, Baſſis, ac Sangiacbegis edicit, vt copias maturè cogant atq; educant: & diuulgatum eſt aliquoties, fieriq; viſa præparatio,

tio, ipſummet Imp. egreſſurum: quod tamẽ animandi cauſſa potius atq; alacriores reddendi Turcos ad ſequendum bellum admodum odioſum, fiebat. Quo edicto exciti Baſſæ quoq; Hungarici, Budenſis præſertim & Temes Warienſis, haud exiguas copias inſtruxerunt. Allatæ fuerunt etiam literæ Beglerbegi Wanenſis, quæ tum prælij ſuperioris, tum captæ vrbis Syruan narrationem antea commemoratã continebant. Eodem tempore Weywodis Moldauiæ ac Walachiæ iniunctum fuit, vt frumenti iuſtam quantitatẽ ſubminiſtrarent, per Pontum Euxinum in partes illas tranſportandã. Tartarhan quoq; per literas requiritur, vt exercitum quàm ocyſſimè rurſum conſcribat, mittunturq́; ipſi duo acinaces ingentes ingentis precij, cum alijs nonnullis muneribus 9 Martij 4000 Spahi ſiue equites, ac 5 millia Ianizarorum Conſtantinopoli de nouo mittũtur: eodemq́; tempore Beglerbegus Damaſci, filius Mehemetis Baſſæ copias ſibi ſubiectas educit. Triremes quoque plures in Ponto Euxino & Morea (olim Peloponneſo) ad eundem finem inſtruuntur.

Tantum apparatum dum Turca molitetur, Perſa quidem de medijs ineundæ pacis cogitare cœpit, quam nec Turca auer-

ſatus fuiſſet, niſi ea vtrinq; æmulatio & autoritatis tuendæ ratio extitiſſet, qua neuter pacis petendæ manifeſtus voluit eſſe autor, ne alteri cedere videretur. Itaq; bellum denuo inſtauratur. Captiuitate fratris ſui intellecta rex Tartarorum, de eo liberando cum Perſa agit: cui hic reſpondit, ita demũ illud futurum, ſi pacem Turcarum Imperatori æquis conditionibus perſuaſerit. Sed obijt ille poſtea in captiuitate: qua de cauſſa Tartarus tũ iuſſu Murathis, tum quòd fratrem vlciſci vellet, denuo expeditionẽ ſuſcipit, adiutus ab Imp. ſubſidijs haud mediocribus.

Nam & militem, & pannorum quantitatem haud exiguam, cupri quoq; centenarios 100, argenti clitellas 50 ex redditibus Cairenſibus ſiue Ægyptijs accepit. Ipſi Regi donata eſt materia veſtiaria ex aureo & argenteo texto, ſericô & holoſerico, nec non acinaces precioſiſſimi.

Tranſportata item fuerunt arma omnis generis & tormẽta per Pontum Euxinum, mandatumq; Regi, vt aut ipſe, aut præcipuus quidam Tartarorum exercitum duceret.

Aprili menſe rumor vbiq; ſpargebatur, coactis à Perſa ex omni ſuo regno ingentes

copias,

copias, easq́; confinia iam tenere: ideoque Imp. rem ipſummet promoturum, & exercitui coràm affuturum, quòd præſentia ipſius tum plus animi ſuis, tum terroris hoſtibus eſſet allatura: Serioq́; deliberatum & penè cõcluſum fuit, vt ſaltem pedẽ è Thracia moueret, quaſi in Caramaniam profecturus.

Arrectis itaq; tunc omniũ animis & auribus, proq́; tanto apparatu grandia ac miranda expectantibus, inſperata in exercitu de Muſtafa diffidentia eſt exorta, quam inobedientia comitari ſolet: & agitata ſunt cõſilia de obtruncando eo. Inuidiã ei tantam conflauit auaritia nimia, vti ſuperiùs dictũ, & ſegnior commeatuum procuratio.

Perſæ igitur valido cũ exercitu progreſſi vrbem Tiflis antea Iur vocatam, & priore anno à Turcis captam, obſidione cingunt, adeoq́; coanguſtant, vt obſeſſi commeatuũ omnium penuria ad mactandos mulos, equos & canes adigerentur: parumq́; abfuit, quin vrbs in extremis iam periculis conſtituta caperetur, niſi Damaſci Beglerbegus tandem ſuccurriſſet, qui conflictu excitato Perſas repulit, & obſeſſos victualibus refecit.

Eodem tempore Murathes ad omnes

Europæ Baſsas literas emittit, quibus eos ad arma, equos & camelos ſubmittendos exhortatur: idque magis terrendorum Perſarum cauſſa, effectu haud ſecuto.

Interim Ochiali ſiue Vlutſchali Baſſa, Præfectus maris & claſſis regiæ, iuxta mandatum Regis claſſem omnibus modis inſtruit, tormẽtis, trabibus ligneis, alijsq; ad ędificandũ neceſſarijs præmittens per Pontum 6 triremes & mahonam ſiue nauim grandem vnam: quas ipſe 17 Maij cum alijs 50 triremibus ſubſequitur. Similiter cæteri Beglerbegi Aſiatici, Sangiacbegi & Spahi ad bellum eodem tempore exeunt.

Diximus antea plures eſſe regulos Georgianorum, & pleroſque à partibus Perſicis. Cæterùm vidua quædã erat prædiues, quæ Turcorum inſultibus ac direptionibus cum ſuis expoſita variis damnis afficiebatur. Ideò de ſecuritate ſibi proſpectura, duos quos habebat filios ad Murathem ablegat rogatum, ut æquis conditionibus ipſa cum ſuis in tutelam reciperetur. Turca non auerſatus petitionem iſtam, beneuolè fratres excipit: quorum alter poſtea pollicitationibus inductus, nomine Manug Schachbeg ad Turcicam fidem tranſiit, ſeq; circumcidi fecit, in cuius gratiam Imp. 25. Iun. ſolenne feſtũ

inſtituit,

inſtituit,ac ſpectacula feſtiua celebrari iuſſit, in Hippodromo ſiue Atmedam. Factus hic eſt Beglerbegus ſuæ ditionis, filiumque Imperatori obtulit, qui cùm in aulam deduceretur puer adhuc, lacrymas fudit. Hinc ambo fratres 15. Iul. domũ verſus abierunt: & dicitur minor Guarquorat beg in itinere ab apoſtata veneno ſublatus.

Interim Muſtafa Baſſa verſus Cars progreditur, milite illud atq; aliis munitionibus inſtructurus, ſumma quidem cum Perſarum indignatione, ſed nullo reſiſtendi conatu.

Ochiali feliciter confecto curſu ſuo per pontum Euxinũ, tempeſtuoſum alioquin & importunum, caſtellum quoddam inter Mengrellios (qui ſunt Colchi) & Georgianos ædificare cœpit magno ſumptu, quod hoſtes paulò pòſt fugatis Turcis deſtruxerunt. Cumq; id denuo reſtauraturus eſſet, Perſæ ſuperuenientes à propoſito ipſum magna data ſtrage ſecundò cohibuerunt.

Menſe demum Septembri Muſtafa Baſſa ædificationem arcis Cars, quieſcentibus omninò Perſis, ſumma cum admiratione perfecit.

Eodem menſe Tartaricæ copiæ Turcis coniunctæ ſunt ad portas ferreas, duce Oſ-

man Baſſa, ſed eas nihil memorabile geſſiſſe conſtat. Exorta eſt autem in caſtris Muſtafæ lues peſtifera & ſumma annonæ caritas: ob quam ipſe Amaſiã in Lycaonia, hybernandi ibidem cauſſa, literis Imperatoris fuit auocatus. Subſtitit tamen ea hyeme in Arſrom, nõ ſtipatus pluribus quam 10 millibus, reliquo exercitu ob famem, peſtem atq; inſtantem hyemem dilapſo Beglerbegi ſimiliter, quotquot in expeditione fuerant, domum infectis rebus redierunt. Perſa à Caſmin (quæ altera eſt & penitior regia) Tauriſum verſus proficiſcitur, & de abitu Turcorum certior factus in ipſorum ditionem excurrit, prædaq; parta haud exigua retrocedens milites ſuos itidem dimittit.

Murathes cognita excurſione illa, veritus ne vlterius Perſa graſſaretur, continuò Muſtafam per literas hortatur, vt cum omni, quantum cogere poſſet, exercitu confinia repetat. Verùm is ob diſceſſum Perſarum ſeſe continuit, & vt maximè progredi voluiſſet, milites obedientiam detrectarũt: Ideoq; paulò pòſt Conſtantinopolin reuocatur, inque eius locum ſubrogatur Sinam Baſſa cum mandatis, vt primo ſtatim vere ſeſe ad expeditionem paret.

Tartari cùm aliquãdiu ad portas ferreas ſubſti-

ſubſtitiſſent, tandem ſub anni finem pluribus ſuorum amiſſis intra fines reuertuntur.

Oſman Baſſa ſocerum Schemhalus, à quo in fuga Syruanenſi hoſpitio exceptus ac ſeruatus, generque aſcitus fuerat, interimi facit.

Muſtafa ſemel atque iterum auocatus, cùm haud dubiis ſignis iram Regis, conflatumq; ex delatione militũ odium præſentiſceret, perculſus quoq; cõſcientia venditorum ære præcipuorum munerũ, (nam tanta eſt eiuſmodi ſupremi ducis autoritas, vt Vezirios etiam ſiue Purpuratos creare poſſit) moram cõſultò trahit, & veritus inſidias quàm optimè ſeſe munit. Mittitur itaq; Capitſchi Kyheia, qui eſt Cubiculariorũ præfectus, cum aliis 15 Capitſchilar, duabus inſtructus literis, quarum alteræ ipſi Muſtafæ pro occaſione eius ſuffocandi erant offerendæ: alteræ mandatum ac voluntatem Imperatoris ea de re cõtinebant, ne qua vis ſicariis fortè inferretur. Caſtra nactus ille Præfectus, cùm ea eſſent tripartita, ab vno ad aliud ablegatur. Tandem cùm colloquium Muſtafę ſeriò flagitaret, ad interuallum fuit admiſſus, diſpoſitis vndique cuſtodibus armatis, cùm Muſtafæ haud dubiè ſuboleret, quid iſtud ſibi vellet. Ille exequẽ-

di facinoris occaſione priuatus literas offerri fecit, quibus Defterdarũ & Nyſchangi,id eſt, theſaurarium & Cancellarium ipſius Muſtafæ ſibi tradi conſignariq́; petebatur. Muſtafa varia quærens effugia & excuſationes, cùm contrà nõ auderet, eos hac conditione ſe dediturum promittit, ſi de vitæ incolumitate ipſis caueatur. Atque ita ambo iſti Conſtantinopolin abducuntur, & in caſtrum 7 turrium coniiciuntur, deq́; omnibus Muſtafæ factis ſeuerè examinante. Hos tamen Muſtafa, 9. April Byzantium ingreſſus, ac Imperatori nonnihil reconciliatus, deinceps liberauit. Plures dies in vrbe moratus ipſe à colloquio Imperatoris arcebatur, dubia omnino ſpe recõciliationis: ſed largitionibus immenſis gratiam aliquam ſibi tandem mercatus eſt.

25. Aprilis Sinam Baſſa deſignatus in locum Muſtafæ belli dux Imperatori valedixit, ab eoque accinctus acinace precioſiſſimo, acceptis quoque vexillo prætorio & equis lectiſſimis, in Aſiam traiicit, ſolenni pompa tum aulicorum, tum triremium ac nauium in portu diſpoſitarum, tormentaque certatim diſplodentiũ decoratus. Fama erat contra Georgianos hunc principaliter moturum: cui per iter Aſiaticæ copiæ hunc

hunc inde affluxerunt. Tartarus quoq; de nouo militem ſubſidiarium armauit.

Sinam itaquè delatus ad confinia, cùm habito circa Arſrom delectu plurimos ad eam militiam cōſcriptos deſideraret, apud Sultanum conqueritur, qui ſubitò quodam die Aiac typhan indixit, hoc eſt, conſilium pedeſtre, idq; in area Palatina, inter arcem regiam & templum S. Sophiæ intercedente. Rara ſunt eiuſmodi conſilia & tumultuaria, nec niſi ardua aliqua neceſſitate urgente inſtituuntur. Tractatum in eo fuit de perſequendo bello, & de illis qui expeditionem ſubterfugerant, carcere mulctandis.

4. Auguſti Legatus Perſicus Muſuhali nomine, cum 17 miniſtris aduentauit, magnaq; cum pompa exceptus fuit.

6. Muſtafa obiit, cùm biduo antè in morbum incidiſſet, contractum ex eſu nimiò melonum, ac ſuperingeſta aqua ſaccarea, quā Scherbeth vocant: quamuis alii ipſum ſibi mortem neſcio quo modo conſciuiſſe, metu imminentis ſupplicii, quod ex accuſatione Perſæ ob ſuppreſſos aliquot legatos metuebat, ſuſpicati fuerint. Imperator mortuo ipſo vniuerſa eius bona confiſcauit, ac in arcē deuehi iuſſit, relicta nepotibus necdum adultis qualicunq; portione, quos in

aulam poſtea recepit. Dicitur hic idem Muſtafa Selymi iuſſu (quem in iuuentute erudierat) dum ageret Beglerbegum Cairi ſiue Ægypti, obtruncandus fuiſſe: quod tamen per indicia præmonitus ſimiliter euitauit. Nota eſt eius, quam capta Cypro exercuit, perfidia & crudelitas in Bragadinũ alioſq; Chriſtianos pluſquam barbarica.

6. Die eiuſdem menſis Imp. ſuperioribus diebus venatum quaſi egreſſus, cùm vniuerſa aula in gratiam legati Perſici vrbem ſolenniter ingreditur. Moris eſt enim Sultanis, vt legatis exterorum regũ cum pompa ſeſe ſpectandos exhibeant. Comitatus fuit ingens & ſplendidè decoratus armíſq; inſtructus, equitum quidem millia quinq;, tàm præcisè, vt nec deeſſe quiſquã nec ſupereſſe eo ex numero deprehenderetur. Pedites, præſertim Ianizari, Solagki, & Aſapi, cùm inordinatè ac gregatim incedant, exactè numerari non potuerunt. Hi ad 7. millia fuerunt æſtimati, omnéſque decorè veſtiti. Atq; hîc erat cernere ſyluam quaſi plumarum & alarum aquilinarum, quas pileis geſtare, ſpeculis inſertis, ſolent. Equites magna ex parte amicti fuerũt aureis textis, & ipſorum equi, elegantiores alioquin & exquiſiti, phaleris & ornatu equeſtri. Turcis

vſitato

vſitato ſplendidiſſimi: præſertim verò regij, qui proximè ante Imp. ducũtur, dici vix poteſt, quanto precioſorum lapidum, gemmarum & auri apparatu nituerint. Magna quoq; canum vis tum Moloſſorum tum aliorum venaticorum ducebatur. Nec ineleganter circumpedes incedebant, geſtantes pileos pyramidales argenteos tenuis laminæ deauratos, inde ſatellites, arcubus & pharetris inſtructi. Imperator ipſe placido nutu omnes tam Turcos, quàm Græcos & Hebræos ſalutabat. Ornatus equi erat admirabilis ac ſplendidiſſimus. Ipſi ſtapedes latiores ex ſolido auro, vti perhibent, confecti variis gemmis inſerti, vt de vnione inuſitatæ magnitudinis, qualis à fronte equi dependet, de freno, monili antilena gemmatis, ephippio deaurato, ſtrato margaritis conſerto nihil dicam. A tergo ſequebantur pueri nobiles & equites cataphracti bis mille centum, apparatu certè magnifico. Claudebant hunc triumphum 12 Croati & Hungari captiui, tribus curribus impoſiti, quorum vnus tympanum pulſabat. Sed neque hoc prætereundum, durante hac pompa 300 ferè captiuòs, quorum aliqui fuerũt Imperatoris, maior verò pars Ochiali præfecti claſſis regiæ, qui & ipſe pompæ inter-

erat,fugam dudum animo conceptam, naui quadam biremi arripuiſſe: quos Ochiali ſtatim inſtructa naui prætoria aliaq; triremein Archipelago longè perſecutus, octauo die pòſt re infecta domum rediit.

17.Eiuſdem menſis Legatus Perſicus in aulam deducitur,Sultanoque literas Regis ſui ac munera offert,duos Coranos elegantiſſimè ſcriptos,9 ſacculos plenos gemmarũ rudium, & aliquot tapetes Perſici operis.

Cauſſa legationis hæc erat, vt pacis tractatio cum Turca inſtitueretur, quò tandẽ miſeræ plebi, cædibus ac bello tam diuturno vexatæ atq; exhauſtæ parcatur, præſertim cùm vnum vtrinq; Deum,eundemque ipſius Apoſtolum ſiue nuncium colant, ac vt vires ſuas pro aſſerenda ſua religione in Chriſtianos ſiue infideles conuertant atq; exerceant. Haud ingrata fuit Turcæ ea petitio, iamdudum eius belli pertæſo, planéq; ſperabatur, ac tantùm nõ affirmabatur certa pacis concluſio:ideoque magno in honore habitus fuit legatus, & à primoribus Baſſis frequenter ad conuiuia, iſtic alioqui rariora,inuitatus.Sed tota ſanciendæ pacis ratio ibi pòtiſſimùm impingebat, quòd Turca prouinciam Syruan ſub initiũ huius belli à ſe captam, & quæcunq; pede contigiſſet ſuo,

ſua, ſemelque tenuiſſet, reſtitui ſibi peteret: legatus conſtanter id recuſaret, dicens neq; id ſe in mandatis habere, neq; Regem ſuum ſua quidem ſententia hiſce conditionibus aſſenſurum. Atq; ita Turca ſpe fruſtratus legatum dimittit 17 Septem. cum literis, quibus eandem petitionem apud Perſam vnicè vrgebat. Is domum verſus tendens, à Sinam Baſſa aliquandiu detinetur, & in vinculis quidem, tanquam is qui Sultanum vana ſpe pacis fraudulenter lactarit. Ex itinere duo eius miniſtri Conſtantinopolin reuerſi fidem Turcicam ſuſceperunt.

Eodem tempore Sinam Baſſa, nulla dum re hoc in bello præclarè geſta, verſus Georgianorum ditionem progreditur, quib. occurrentibus acer conflictus fuit editus, ex quo inſignem cladem Turci acceperunt: quod ipſum literis cuiuſdam, qui interfuit, & fama confirmatum eſt.

Mittebantur tum ex urbe 30 Reys, qui ſunt Capitanei nauium, 30 architecti, ac totidem Odobaſſi cum mandatis, vt triremes ædificarēt in mari Caſpio, deſtinata ad hoc materia lignaria alijsque neceſſarijs: cuius rei effectus necdum apparuit. Sinam pertæſus huius belli domū redire deſiderabat, ac literis apud Sultanū ſeſe inſinuabat, pa-

cemque quibus poterat modis perſuadere conabatur. Nam ex ſupremo Veziriatu, qui ex morte Ahmatis Baſſæ ad ipſum deuolutus erat, plus ſibi honorum, opum ac quietis pollicebatur. E caſtris eius plurimi cogente inedia diſcedebant.

Perſæ ſub autumnum rurſus obſident vrbem Tiflis, haud dubia ſpe eius capiendę. Sed Beglerbegus Damaſci denuò eos, quēadmodum ſuperiore anno, cruento conflictu deiecit ac repulit.

Hyeme iſta noui rumores ſpargebantur de redintegranda expeditione, mittendoq; Aga ſeu Præfecto Ianizarorum. Ac miſſi ſunt 13. Aprilis anni 81. per Pontum 1500 Chulcardaſchlar, vti vocantur: delectique fuerunt Ianizari, qui terra ſequerentur: & hi paſſim equos à ruſticis coegerunt, quos iterū, ſuſpenſa expeditione illa propter extremam in confiniis annonæ penuriam, militumque omnium ferè ad hoc bellum tantùm non cogendorum animos prorſus inuitos ac alienos dimiſerunt. Itaq; bellum hoc anno quaſi conquieuit, & Sinam Baſſa relictis confiniis Byzantium ea æſtate rediens ſupremum Veziriatus officium ingreditur.

Ineunte vere anni 82. rurſum naues aliquot

quot victualibus oneratę, & per Pontum ad confinia ſunt tranſmiſſæ.

29. Martii Legatus Perſicus cum trecentorum ferme comitatu, ad cōdecorandum feſtum Circumciſionis, à Murathe in honorem filii inſtitutum, Byzantium appulit. Cui extra Scutarium Beglerbegus Græcię, aliiq; aulici numeroſo cum equitatu, Præfectus regiæ claſſis cum 25 triremibus eleganter inſtructis obuiam proceſſerūnt: in littore verò Conſtantinopoleos Aga Ianizarorum, Odo & Capitſchi Baſſi, cum tribus ſuorum millibus eum præſtolati ad hoſpitium decenter deduxerunt.

Et quamuis præſente iam Legato pacis tractandæ atque ineundæ ſpes eſſet, tamen Imp. maioris ſecuritatis atque authoritatis gratia triremes aliquot milite impoſito emiſit, cùm non ita pridem 4 quoque Czauſchos ad Perſam ablegaſſet, quibus tamen cum mandatis, non ſatis conſtat.

Interim feſtum Circumciſionis, præſentibus legatis pręcipuorum orbis principum eò inuitatorum inſtituitur, fitque eius initium 2. Iun. extructis in Hippodromo ſiue Atmedam ſtationibus ſiue pergulis pro Imperatore, filio & gynecęo ipſius, nec non legatis exteris ac primoribus Turcarum, du-

rauitq; illud 50 dies continuos. Quo tempore non ſolùm Veziriis Baſſis, Beglerbego Græciæ, Præfecto Ianizarorum & claſſis regiæ cum ſuis miniſtris, Czauſchis atque Spahis: ſed & legatis, quos Sinam Baſſa Sultani iuſſu, oblatis varii generis animalibus ac figuris è mero ſaccaro confectis, ſolenniter inuitauit, & horum miniſtris, adeoque multitudini plebis epulum quotidiè fuit appoſitum, totaque Hippodromi area cibis conſita. Ludi quoque ac ſpectacula omnis generis, pleraque inuſitata ac mirabilia fuerunt exhibita, ita ut infinita propè ariolorũ, funambulorum, præſtigiatorum, pugilum, ſaltatorum, athletarum, muſicorũ ac aliorum, quiduis ridiculè, iocosè aut ſcurriliter quoque agentium ſiue conantium, confluxerit colluuies.

Filius Regius Sultan Mehemet, ætatis ſuæ annum decimum ſeptimũ ingrediens à Mehemete vltimo Vezirio, Imperatoris quondam tonſore, 7. Iun. ſeorſim, adhibitis vſitatis ceremoniis circumciditur.

Tantus in eo feſto luxus atq; oſtentatio fuit vſurpata, vt Imp. ac filius congregata plebe ſępiùs nummos, & patellas argenteas ternis vicibus quadragenas aut quinquagenas manu ſparſerint: quo concurſu plerunque ali-

que aliqui fuerunt oppreſſi. Breuiter, inuſitatæ miræque feſtiuitates ac ſpectacula curſus equeſtris & pedeſtris, ludicrorum conflictuum, iaculandi, caſtra oppugnandi, committendi canes vrſis apriſue, mittendi ignes volatiles, ſalientium aquarum, ferarum, Muſicæ, comœdiarum, tripudiorum & ex diebus illis conſpecta ſunt, ita vt ſimile feſtum neque apud Turcos vnquam, neq; alibi celebratum ſit.

Contigit interim, vt Perſæ Turcos omnium rerũ ſecuros ex inſidijs obruerent, ac ſtragem darent ad 4 millia vulgò æſtimatam. Quo comperto Murathes vehementer commotus non ſolùm ſtationem pro Legato extructam deſtrui, ſed & intra hoſpitium occludi eum iuſſit: cui poſtea, graſſante horrendum in modum peſte, plures centum miniſtris obierunt.

Paulò pòſt tres Perſæ haud vulgaris conditionis ad Turcas transfugerunt, quorum vnus fuit ille Muſuhali, qui anno 80 legatũ egerat.

Nouiſſimum eſt, quo narrationem hanc concludo, quòd Perſæ rurſum ex improuiſo adorti Turcas, nõ modò 20 circiter millia trucidarunt: ſed vrbem quoque Tiflis, ac totam regionem circumiacentem recepiſ-

ſe perhibentur. Cuius victoriæ non minimam cauſſam fuiſſe aiunt Mehemetum Georgianum, quem antea à matre Conſtantinopolin amandatum fidem Turcicam ſuſcepiſſe dixi. Hic cùm odium Imperatoris, neſcio quibus ex cauſſis incurriſſet, ſentiens ſibi tendi inſidias, ad Perſas magna cum Turcorum manu transfugit, hiſq; opportunam inuadendi Turcos rationem oſtendit, & ipſe opem haud exiguam præſtitit. De qua clade conqueſtus poſtea apud Imp. Oſman Baſſà graui culpa Sinam grauauit, qui bellum hoc, etiamnum ſupremus dux, ſegniter adminiſtrauerit, atque inde domum reuerſus ſubmittendorũ auxiliorum vana ſpe ſæpius ipſum lactauerit. Quo modo graui inuidia ac ſuſpicione oneratus Sinam, omnem operam virilem, & in perſequendo hoc bello fidem ac feruorem Imperatori defert: ſed fruſtrà. Hic enim vehementi cõcepta ira ilicò hominem ab officio remouit, parumque abfuit, quin eum obtruncari faceret. Itaque homo omnium inſolentiſſimus, ac Chriſtiani nominis oſor acerrimus fugit, cuius bona ampliſſima confiſcata ſunt, eiusque in locum ſurrogatus Siauſch Baſſa, natione Hungarus, ac nobilis in pueritia captus, vir ſedatus

ac mi-

ac minimè tetricus. Faxit Deus Opt. Max. vt gentes illæ Mahometicæ infeſtioribus ac funeſtis armis tam exteris quàm inteſtinis concurrant: ea verò quæ in orbe Chriſtiano tum flagrant, tum metuenda videntur incendia clementer reſtinguantur ac comprimantur: idque ad nominis ſui gloriam, tranquillitatem publicam, noſtrámque omnium ſalutem.

FINIS.

W

ITER BYZANTINVM

HENRICI PORSII,

IC. ET SACR. CÆS. MAIESTATIS AB EPISTOLIS IN CAMERA aulica: nec non Profeſſoris Poeſeos in Archigymnaſio Viennenſi,

VT CVM CAES. MAIEST. LEgato & Oratore ad Imperat. Turc. viro Nobiliſsimo & ampliſsimo, Dn. Ioachimo à SintZendorf, illud ipſe confecit.

Summa fide & diligentia conſcriptum, lectúque digniſſimum.

IOANNES SAMBVCVS, CÆS. CONSIL. ET HISTO-RICVS, DE HENRICO PORSIO, IC.

QVIS nouus hic ardor? quis ſpiritus excitat œſtrum?
Secula nunc vatum priſca requirat iners.
Sunt Mecœnates, ſurget Maro, Naſo, Tibullus:
Porſius en ſpecimen dans grauiora mouet.
Carmina ſic dictat iuuenis cedro ac ſene digna,
Tam numeris aptis, tamq; polita nitent.
Si ver hos edit flores, quid proferet æſtas?
Vuifer autumnus quos premet inde cados?
Florebit genio, clarebit diuite vena,
Principibus, doctis, vſque probabit opus.
Creſce igitur Vates, cunctorum nate fauori,
Cœpta Dij & greſſus fine decente regant.
Nec vani rapiant tituli, ſplendorq; fugacis
Aulæ, intra teneat regia Muſa modum.
Ambitio multos ſeduxit, retia fumo
Plena tenens: ſenium præda ſed acta fugit.
Senſibus hæc imis optat Sambucus amico,
Vt placeas vulgo, punctaq; mille feras.
Sic reſpondebit conatibus, exitus vltro,
Nomine fulgebis, victor & ibis ouans.

HENRI-

HENRICI PORSII I C. ITINERIS BYZANTINI, LIBER I.

POSTQVAM res *Aſiæ & Turcorum ſurgere regna*
Parua ſub auſpicijs, nunc orbis maxima regna,
Eſt viſum ſuperis: vicina labaſcere contrà,
Aut Geticis domita, aut ſaltẽ vexanda tyrãnis:
Prima reſurgenti (medio nam tempore preſſum
Delituit) regno cunas Aſiatica tellus,
Incrementa dehinc Europa atque Africa, fatis
Luctatæ indignis, maiora ſubinde dederunt,
Vt quam miramur, iamdudum mole ſua ſtet.
Vos quoque, non vlli priùs auſæ cedere regno,
Siue opibus ſeu gente virûm, ſeu fœnore terræ
Cuncta refundentis, dum pax & fata fauebant,
PANNONIÆ, *quondã quondam felicia regna,*
Publica ſenſiſtis diſcrimina, remq́; labantem,

Hoſtibus expoſitæ nimis, ab nimis hoſtibus aptæ
Sedes, ac fœtæ dudum diſcordibus armis.
Namque tot exhauſtas bellis, tot cladibus actas,
Tot flammis vſtas, tot percurſasq́; rapinis,
Ac tot funeribus cæſorum & ſanguine ſparſas,
Quis ſatis effari verbis, quis plangere poſſit?
Tantorum nec adhuc apparet meta malorum,
Nigrauiora (Deus quæ vertat) fata minentur,
Extremam tandem regno illatura ruinam.
Ne tamen aſſiduè ſub aperto Marte gematur,
Sitq́; ſimul moderata quies arma inter & hoſtes:
Aere dato rabies ſedatur auara tyranni,
Aere quies paritur, ſuſpenſaq́; bella tenentur.
Nempe ſalus populi pax eſt: pax optima rerum,
Quæ neq; cũ paruo reprobãda, nec hoſte pudenda
Cum tali, qui gente valet, qui Marte parato
Excubat, ipſe ſuis nutu verboq́; tremendus,
Pax adeò bellumq́; pari cui lance librantur.
Iamq́; aderat tempus ſolito pro more ferendi
Wolfius L. B. ab Eitzing Legatus ad Turc. Imp. *Annua ad Ottomanam Bizãtij munera portã:*
Cum tibi legati mandatur functio; WOLFI,
EITZINGÆ *veteris præfulgida gloria ſtirpis,*
Paulus ab Eitzing L. B. *Qui virtute genus decoras, fandiq́; lepore*
Wolfgangus Wilhelmus L. B. à Rogẽdorf. *Et grauitate vales, obeundo hoc munere dignus.*
Te ſtipant comites frater, iuxtaq́; vetuſta
Stirpe Rogendorfius genitus, ſpes ampla ſuorum:
Ioannes Sigiſmundus à Greiſſen. *Et pars Cæſareæ non vltima Greiſſius aulæ.*
Ergo iter ingreſſi duce te decurrimus Iſtro.

Turri-

Turritaq́ oculos ſenſim fugiente Vienna, 29. Octob. anno 1579.
Prima nocte citi retinemur ad oſtia Viſcæ.
Altera Poſonij ſtatio, cui deſuper alta Poſonium 30.
Imminet arx, lataſq́ Iſtri deſpectat in vndas.
Inde vagos curſus ſinuanti flumine vecti,
Proxima Sabariæ & Cituorum legimus arua,
Ac ventis biduum tardati, aſperſa duobus Comarum 3. Nouemb.
Contigimus fluuiis munimina firma Comari.
Hoc occurſuros operimur littore Turcos, Turcorum aduentus, 6.
Qui tandem aduerſo venientes flumine, ſignis
Emicuere datis: ſoluentes linquimus arcem,
Danubioq́ ſcaphis conſtrato, ac milite terris
Diſpoſito, remis agimur certantibus vltrà.
Vtq́ fides vtrumque data eſt, vtrinque recepta,
Iungimur, atq́ habito ſermone relinquimur illis.
Tum raucæ ſonuere tubæ, tum tympana paſſim,
Ac diſploſa vagum tonitru ſclopeta dederunt.
Turcorũ hinc ferimur comitatu & nocte ſuborta Strigonium 7.
Strigonij tandem celebratæ allabimur arci.
Poſtera lux oritur, cùm protinus vrbis adimus
Præfectum, doniſq́ datis, luſtrauimus arcem,
Antè domũ Chriſto, tibi nũc Mahomete ſacratã.
Tunc etenim (non eſt rei noſtra immemor ætas)
Agmina cũ creberrima agẽs Solymãnus, & arua Solymannus Strigonium capit, anno 1529.
Pannoniæ violenti inſtar torrentis inundans,
Tenderet Auſtriacã premere obſidione Viẽnam:
Cepit in occurſu venientia & oppida & arces,
Inq́ his Strigonium, non vi nec cæde ſuorum,

Paulus Archiepiſcopus Strigonienſis arcẽ vltro dedit.

Tantùm perfidia tradentis Præſulis arcem,
Fallentisq́; fidem votam Regiq́; Deoq́;.
Vtq́; fuit nullo Turcis ea capta labore,
Sic facili noſtris eſt poſtea ſorte recepta,
Alterius cladis monimentum triſte futura.

Rurſum capitur, anno 1543.

Namq; trib. luſtris minus anno exinde peractis,
Obſidione graui tentata iugiq́; globorum
Grãdine quaſſa fuit, rapidis quoq; ſubruta flãmis,
Noſtrorum defenſa tamen melioribus auſis,
Nõ ſine clade graui Turcorum & funere multo:
Donec in extremis ſpes fracta laboribus arcis,
Seruandæ, ſociisq́; ſuis requieſcere iuſsis

Italus quidã vexillifer, dictus presbyter à Maſſa.

Signifer elapſus muro, petit hoſtica caſtra,
Obſeſsis abitum pro deditione paciſcens.
Quo Turci audito, miſsi duo protinus arcem
Conſcendunt, dediq́; petunt, ſpondentq́; ſalutem.
Pacta recuſantem atque extrema audere paratũ

Franciſcus Salamanca præfectus.

Præfectum flexit ſociorum vnita voluntas.
Spargitur interea rumor iam pacta coiſſe:
Torpeſcunt animi, torpeſcit cura tuendæ
Arcis, & ad pacẽ ſpectat iam quiſque ſequendã.
Dum res in tanto diſcrimine fluctuat, exit
Præſidio Salamanca, petens ea pacta nouari.
Huic reditus (crimen) præcluditur: hoſtis ad arcẽ
Prorumpit, panditq́; viam vi, mœniaq́; intrat,
Diripiensq́; domos noſtris illudere gaudet.
Hi ſtant attoniti, nec iam ſpes vlla ſalutis,
Sed ſubeunda necis certiſsima pœna videtur:

Cùm

Cùm Solymannus eos ſpoliatos rebus & armis
Ad ſua ſacra minis partim & mercede laceßit,
Partim obtrectantes ſacris detruncat, in vndas
Imbellem ſpargit turbam ſcelerive reſeruat.
Mox ſimili fertur rabie bacchatus in Albam Alba Regalis capitur, 2. Sept. anno 1543.
Regalem, ſimili quam deditione recepit,
Infringens pactamq́; fidem, patransq́; nefanda.
Inde retrogreſſus Vicegradum in vertice ſtructũ
Rupis inacceſſæ, quam præterlabitur Iſter,
(Ripa retentauit noſtras aduerſa carinas) 7. Nouemb.
Depoſcit, validoq́; quatit molimine & vrget,
Donec præſidium à tanto vix hoſte domandum
Dura ſitis domuit, quæ quatuor vſque diebus
Sæuijt, extremum miſeris cauſata periclum.
Ergo paciſcuntur vitamq́; abitumq́; coacti;
Caſtellumq́; hoſti dedunt, qui protinus omnes,
Pactorum illuſor fideiq́; cecidit ad vnum.
Iam deſtructa domus collapſaq́; mœnia reſtant,
Seruandæ quondam regni decreta coronæ.
Prouehimur, littusq́; Budæ contingimus altæ. Buda. 9.
Exortoq́; die Baſſæ comitamur ad ædes
Legatum, qui cùm mandata peregit, in arcem
Scandimus, egregiam quondã, nũc fulminis ictu
Fœdatam laceramq́; intus: dehinc vrbis euntes
Per vicos, noſtrum ſerò ad nauale redimus.
Fas vrbis memorãda modò perſtringere fata. Ludouicus Vngariæ Rex interit anno 1526.
Poſtquam Rex letho periit Ludouicus acerbo,
Maiores regno motus ac bella relinquens:

Joãnes Comes Scepuſienſis, Weiwoda Trãſyluaniæ coronatur.

Scepuſius ſummas affectat Ianus habenas,
Impoſitamq́; capit primatum à parte coronam,
Legitimo at potior titulo pactiq́; tenore.

Ferdinãdus Archidux Auſtriç, affinis Ludouici.

Ferdnandus, repetens armis ſua iura, Ioannem
Expellitq́; Buda capta, pugnaq́; cruenta
Deiicit. Hic fugiens Polonica regna ſubintrat.

Ieronymus Laski.

LASKE *receptaſti profugum, cauſamq́; tuendo*
Hoſpitis, ad Turcam contendis nuncius aulam,
Reſtituiq́; illum petis auxiliaribus armis.
Vota tibi cedunt, cedunt hei vota nefanda.

Solymãnus Vngariam inuadit anno 1529.

Nulla mora eſt, valido veniẽs cum milite Cæſar
Graſſatur, ſtrageſq́; edit, capit obuia, plebem
Abducit, potiturq́; Buda ſine ciue relicta:
Arcem præſidio munitam oppugnat, & actis
Diſrupturus erat ſcrobibus, cùm miles ad hoſtem
Re deſperata dedendi pacta referret.

Exemplum memorabile.

Pacta probans Cæſar vitamq́; abitumq́; recepit.
Solus abhorrebat placitis præfectus, & illos
Officij fideiq́; monens, vincitur, & hoſti

Thomas Nadaſtus præfectus.

Mœnia panduntur. Comperto crimine Cæſar
Inuertit pactum, cunctoſq́; occidit, at ipſum
Nadaſtum vita donatum in tuta remittit.

Joannes R. Vngariæ moritur anno 1541.

Inde Viennenſi fœdè obſidione relicta
Conſtituit regem Ianum, obſtringitq́; tributo.

Ferdinãdus Bohemiæ R. Pannoniç bellum infert.

Hoc quoque ſublato fatis, regnoq́; vacante
Ferdnandus capit arma, parũ cùm iure valeret.
Iamq́; Budæ oppoſitũ, medio Iſtri flumine, Peſtũ
Et Vaciam, & firmã ſine vulnere ceperat Albã:

Cùm Regina Budam poſcenti inimica reſiſtit,
Quæ iam ſuppetias Turcam implorauerat antè.
Ergo inſtauratur poſitis obſeſſio caſtris,
Arxq́; diu grauibus tormentis quaſſa laborat,
Vnde nec effectus, fortuna ſed abſuit auſis.
Nam conuulſa globis muri pars nocte patebat,
Ingreſſumq́; dabat, niſi noſtri obſtātibus vmbris
Ceſſantes, illis reparandæ tempora molis
Apta reliquiſſent, arcis ſpe deinde cadentes.
Vrbis item amiſſa eſt capiendæ occaſio tuta.
Porta vetuſta fuit ſecretaq́; prætor ad iſtam Bornamiſſa prætor
Nocte recepturum promiſerat Vngara ſigna.
Pacta Rogendorfus mutans ſubmittit ad vrbem Rogendorfius belli dux.
Germanos, qui cùm portam intrauere recluſam,
Voce requiſiti ſe produnt voce: vidensq́; Budæ capiēdæ occaſio amittitur.
Se luſum prætor ſubeuntes deſerit: illi
Ignariq́; loci & noctis per opaca vagantur,
Pars ad caſtra fugit, pars intercepta necatur.
Iamq́; propinquabat Solymāni exercitus ingens,
Caſtraq́; figebat non longè diſſita noſtris:
Sæpè leues faciunt excurſus, ſæpè laceſſunt
Conflictus, multiq́; neci traduntur vtrinque:
Cùm tandem noſtros coniuncto robore noctu Chriſtianorum clades ad Budam.
Inuadunt Turci, ſparſosq́; ſine ordine cædunt,
Diripiunt tormenta, ratesq́; in flumine mergūt.
Ipſe Rogendorfus caſtris ſubtractus, & ægro
Mœrore exhauſtus vitalem deſerit auram.
Quis cladem noctis, quis funera triſtia fando

Exprimat? Exuti caſtris, vitaq́ bonisq́,
Conſtituere graui noſtri in diſcrimine regnum.
Pars aliqua eſt ſeruata fuga: pars maior ab hoſte
Capta dedit ſæuæ ſpectacula turpia mortis.
Fœdum ſpectaculum. *Miles erat grandi ante alios miraq́ ſtatura,*
Vix genua æquanti qui nauo fortè dabatur
Mactandus: ſtricto puerili hic circuit harpo,
Ingeminansq́ ictus vix tandem ſternit, agensq́
Ludibrium, vitam laceratis artubus aufert.
Georgius Waradinenſis antiſtes, dictus Monachus. *Sed tanti ſi vera mali quæratur origo,*
Veraq́ fax: tumidus dira ambitione ſacerdos
Chriſte tuũ, inq́ tuos (ſcelus hei) concíuerat hoſtẽ,
Cũncta ſuo arbitrio, reginam adeoq́ gubernans.
His ita patratis Solymannus, nuper ad vrbem
Clade data appulſus, donaria ſplendida mittit
Infanti regis ſimul & primoribus aulæ,
Efferriq́ ſibi in tentoria poſtulat illum.
Paret, & infantem quamuis inuita, remittit
Cum procerum turba mater, quos ore tyrannus
Excipit humano: ſed iam prandentibus illis,
Talia nec veritis, ſubmittit fraude cohortes,
Quæ portam ſubeunt ac demunt ciuibus arma.
Poſt ipſe ingreſſus, templum prius expiat, arcem
Poſcit, cumq́ ſuis reginam excedere mandat.
Exceſſere bonis vacui, tantæq́ per ipſos
Illatæ regno hæc retulerunt præmia cladis.
Expeditio in Vngariam Ioachimi *Hanc tamen vlciſci dum ferro vindice certũ eſt,*
Agmina militiæ coguntur meſſe ſequenti,

Queis

Queis magnus præeſt ducēdis Marchio, & unà Marchionis Brandeburgenſis, & Mauritij Saxonis, anno 1542.
Mauritius Saxo duris ſpectatus in armis.
Sed fruſtrà obſeſſa Vacia Peſtoq́, niualis
Quādo inſtabat hyems, ꝑperisq́, cohortib. hoſtis
Aduentare frequens ferretur, caſtra reuellunt,
Ac tantos linquunt fatis obſtantibus orſus.
Soluimus, auectiq́, Buda, plura oppida obimus 12. Nouemb.
Chriſticolis habitata ſimul, Tolnamq́, vetuſtā, Tolna, aliàs Altiniū, 14.
Valcouaramq́, arcē, Bathamq́, Mohaciaq́, arua, Volkowar, 17.
Cladis & hæc monimēta grauis, caſusq́, ſupremi
Rex Ludouice tui: tunc cùm neque virib. æquis, Ludouici R. interitus prope Mohatſch, anno 1526.
Conſilio neque maturo munitus, aperta
Auſus eras hoſtem pugna tentare potentem.
Magna quidē emicuit virtus tua, magna tuorū,
Quando ſub auſpiciis miſiſtis plurima letho
Corpora Turcorum: ſed vos infanda cupido
Egit in exitium, ac ſpes fallaciſſima pugnæ.
Namque retrocedens hoſtis (ſiue impete pulſus,
Siue dolum meditans) vos ad tormenta ruentes
Diſpoſita adducit, diſploſaq́, mittit in agmen,
Atque aciem rumpit, cumulataq́, funera miſcet.
Eſt locus, exigua limum inducente palude,
Huc Rex præſidio fertur nudatus ab omni,
Ac demerſus equo reflexo occumbit in armis.
Heu quantam Rex clade tua peſſundate cladem
Traxiſti, Turcumq́; animaſti in bella futura.
Ex hoc, turbo velut, nullo remorante per omne
Regnum victor agit prædam, cædesq́, frequētat.

Cæſorum numerus captiuorumq́; refertur
Myriadas ſuperaſſe decem, ſpolia ampla tacẽdo.
Altera bella canã: locus hæc mihi ſuggerit idẽ.

Ferdinãdus Turcis ad Eſſegkum bellum mouet, anno 1537.

Vrbs iacet Eſſecum Draui prope condita ripam,
Arte ſituq́; potens. Hanc tu Ferdnande petebas
Obſidione parum felici: namque recedens
Inde mouet, tentatq́; alias exercitus arces,
Ac victum quærit: nam victu caſtra carebant.
Dumq́; reuertuntur non tuto tramite ad vrbem,
Ecce per inſidias campo carpuntur iniquo,
(Hũc nemus ambibat) Fit pugna ſine ordine iuſto
Cinguntur noſtri, pars effugit: ipſe nefandus

Cazianeri turpis fuga.

Deſertor pugnæ & fidei, dux caſtra relinquit.
Criminis ac tantæ noxæ reus actus vbique,
Inductus furiis abitum meditatur ad hoſtes.

Nicolaus Serinius Comes Cazianerum obtruncat.

Iamq́; fugam capiens ad crimen fortè Serinum,
(Cuius erat virtus poſt hæc ſpectanda Sigethi,
Inſignisq́; fides, & pluſquam nobile fatum)
Sollicitat, ſociumq́; cupit: qui cedere voto
Se ſimulans hominẽ poſt cœnã obtruncat, eodem
Perfidiã vlciſcens facto, & mala plura recidens.

18\. Petri Waradinum. Salonkemẽ.

Prouehimur ratibus, caſtellaq́; diruta circùm,
Vylaçumq́; altum, Varadinaq́; mœnia latè
Conſpicua, atque ſitu legimus decliue Saloncum:

19\. Belgradum, aliàs Alba Græca ſiue Taurunum.

Donec arenoſum quà Sauum ſuſcipit Iſter,
Belgradum pulchrumq́; loco murisq́; decorum
Appulimus, finem curſus naualis adepti.

20\. *Hic locus hiſtoriæ campũ quoque detegit, in qua*

Fata

Fata patent miranda atque inclinatio regni.
Liquerat Albertus mortali exemptus ab orbe
Auſtriacus dubio prægnantem hærede maritã.
Iſta Ladiſlao coniux quæſita Polono
Dura minùs primò: ſed pòſt enixa puellum
Dura recuſauit thalamos, bene prouida nati.
Illum aliqui proceres & ſpreti iniuria voti,
Inducunt armis regnumq́ torumq́ parare:
Arma ciet primoq́ aditu capit oppida quædam,
Quæ tamen occurrens aſtu regina receptat.
Tanta videns ſibi blandiri momenta Murathes,
Arma capit, validoq́ premit molimine regni
Clauem Belgradum, ſed ſpe, ſed robore vano.
Namque Ladislaus reginaq́ fœdera pangunt,
Isq́ toro natæ vidua pro matre potitus
Armatur, grandiq́ hoſtem cum cæde repellit.
Progreſſus ſubigit Myſos rigidosq́ Triballos,
Nec non Moldauûm ſpacioſo limite terras:
Idq́ opera Hunniadis, qui tũ velut alter Achilles
Ac murus regni, ſpectatis claruit auſis.
Denique fūneſtis attritum cladibus hoſtem
Aſtrinxit quauis ſub conditione paciſci.
Pax decreta decem fuerat communis in annos:
Sed iuuenis, tantisq́ modo ſucceſſibus audax
(Perſuaſu Iuliane tuo) data fœdera rumpit,
Ad Varnamq́ mouet, morboq́ obſtãte moratur,
Cilice dum bello implicitus pacẽ impetrat hoſtis,
Agminibusq́ fretũ properis contendit ad Helles,

Albertus Auſtriacus Imperator & Vngariæ R. moritur, anno 1439. Ladiſlaus Poloniç Regis frater.

Murathes II. Belgradũ oppugnat.

Ioãnes Hũniades clauis regni Vngarici.

Iulianus Cardinalis autor rumpẽdi fœderis.

Murathes pacem init cum Caramanno.

Genuenſes traiiciunt Turcarum exercitum, accepto in ſingula capita nūmo aureo. Pugnatum eſt, anno 1444.

Quà Ligures auro accepto (ſcelus) ocyùs illa
Traiiciunt, tantumq́; orbi inuexere periclum.
Spe citius Varnam aſſequitur, iuxtaq́; Murathes
Caſtra locat, pugnamq́; ciet, quæ Marte feroci,
Stagnantiq́; adeò cæſorum ſanguine campo,
Tres protracta dies, totidemq́; ex ordine noctes,
Velle videbatur noſtris concedere palmam:
His tamen incauto furore ruentibus hoſtis
Vertitur, inq́; aciem nudatam irrumpit, agensq́;
Rem telis, letho tradit ſine lege vagantes.

Ladiſlaus occumbit.

Rex icto collapſus equo (ſic fata dederunt)
Exhalat pugnans animam per vulnera fortem.

Mahometes II. Belgradū obſidet, anno 1456.

Belgradum redeo. Summis hoc viribus alter
Mahmetes multoq́; oppugnat tempore, inani
Conatu tamen, ac damno grauiore repulſus.
Namque quater denis amiſsis millibus ipſe
Saucius, in prædam caſtra ac tormenta reliquit.
Hic verò Hunniadis (fuerat qui clade ſuperſtes
Varnenſi) enituit virtus, ac fortia facta,
Nauali ſpectata ſimul certamine vtrinque
Acriter admiſſo, & deiectis denique Turcis:
Cumq́; per effractos iam muros hoſtis in vrbem
Infuſus, certa iam ſpe diſcurreret actus:
Ecce ſuis cautè oppoſitis, atque impete facto
Hunniades (ſtructa qui fraude quieuerat) hoſtē
Aggreditur: ſternit, retrorſumq́; agmina cogit,
Et labefacta modis mirandis mœnia ſeruat.
Sed tandem pugnis tot, totq́; laboribus vrbis

Defenſæ exhauſtus, vitalem deſerit auram.
Hãc demũ, imperij nuper Solymãnus habenas Solymãnus Belgradum capit, anno 1521.
Sortitus, validis nec opinis obruit armis,
Et malè defenſam, pauca cum cæde ſuorum
Occupat: heu regni peſſum gradus alter ituri.
Nauibus hîc lictis terrenum deinde quadrigis 22. Nouẽb. Seruia, olim Myſia ſuperior.
Continuamus iter: Myſorumq́; aſpera rura
Ac humiles longo peragramus tramite pagos.
Hîc quoque ne geminæ præter loca cõſcia cladis
Ore vehar tacito, cladem perpeſſus vtramque es Baiazetes vincit Sigiſmũdum ad Nicopolin, anno 1395.
Vicinis Sigmũde locis: quarum altera ad vrbem
Nicopolin (victis Traiano à Cæſare Dacis
Inſignem) facta eſt, qua vix, iam milite fuſo,
Nauicula ſoſpes Byzantij euadis ad vrbem:
Inde via æquorea digreſſus, in Vngara fato
Regna redis, tete Imperij expectante corona. Ioãnes Dux Burgundiæ, autor velleris aurei.
Illa acie captus Ianus, dehinc ære redemptus
Burgundus, ſacri fuit autor velleris aurei.
Altera bella paras (cùm mallem læta referre, Mahometus, ſiue vt alij, Celebinus Sigiſmũdum Imp. vincit ad Columbaciũ.
Nil niſi triſte cano) mage nec felicia primis.
Ac victus cladẽ ingeminas Sigmunde cruentã,
Vnde Columbacij traxerunt oppida famam.
Vſque adeò, cœptisq́; piis contraria ſemper
Fata, grauesq́; ſimul miſerunt inuida clades,
Cætera ne regni diuerſis partibus huius
Accepta enumerem, rarò hoſti reddita damna.
Progredimur, Morauæ traiectoq́; amne ſubimus 27. 29. Niſſa, Seruiæ metropolis.
Niſſam humilẽ, crebrãq́; iugis & paupere alũno,

2. Decemb. Bulgaria. Sophia. *Sacra tamen Chriſti ruditer nomenq́ profeſſo,*
Bulgariã, & celebrẽ quondam vaſtamq́ Sophiã.
Hoc paſſim tractu ſæuæ contagio peſtis
Serpebat, noſtrosq́ caſæ de nocte rigenti
Vitatæ expoſitos ſub dio ſæpe videbant.

Hæc opibus quondã gens & Mauorte ſuperba,
Vicinas gentes afflixit, easq́ tributo
Pendendo obſtrinxit: variis ſed motibus acta,
Nunc oppreſſa iacet, Turcisq́ miſerrima ſeruit.
Nam poſtquam Græcæ cœpere labaſcere vires,
Ioannes Palæologus Turcam euocat ex Aſia. *Motibus externis ſimul internisq́ ſolutæ:*
Bulgarico preſſus bello, euocat Aſide Turcam
Sede Palæologus: non impiger ille vocatus
Subſidio venit: hinc regionis captus amore,
Ne rebus deeſſet, nullo impediente, gerendis,
Anno 1363. Murathes cepit Adrianopolin, Philippopolin, &c. *Traiecit gentem, poſitamq́ in littore cepit*
Callipolin. Thracumq́ patenti limite terras.
Nec contentus iis Myſorum venit in arua,
Qui tamen oppoſitis miſerè cecidere ſub armis,
Confoditur à ſeruo Lazari Deſpotæ. *Deſpota captus obit, cuius (memorabile) ſeruus*
Vlturus dominum, certiq́ pericula ſpernens
Supplicij, ferrum Regis ſub pectore condit.
Hinc varias experta vices gens iſta, modoq́
Chriſtiadum ducibus modo Turcis ſubdita ceſſit:
Georgius VncuWitz Deſpota, filiam Murathi in vxorem dat. *Dum potitur tandem ditione Georgius iſta,*
Ac generũ infidum iungit ſibi ſponte Murathẽ,
Quo tamen inſectante fugit: natisq́ duobus
Candenti tactis adimuntur lumina pelui.

Ipſe

Ipſe Ladiſlai ſortitur munere rurſum
Bulgariam: meritiq́; parum memor obſuit auſis
Hunniadis, poſt hæc triſti cum clade repulſi:
Hũc etenim aggrediẽs animoſo Marte Murathes
Prælia init, fortiq́; Hũnos premit impete & ar-
(Niſſa tui quondam viderũt prælia campi) (mis: Anno 1448.
Pugna ſub inſtãtem protracta eſt feruida noctẽ,
Cùm Turcis tandem victoria viſa fauere eſt,
Pannoniiq́; fuga dilapſi ad caſtra feruntur.
Poſtera cũ primùm roſeis aurora quadrigis
Inuecta eſt, pugnam inſtaurãt, dubioq́; tumultu
Res agitur, cædesq́; graues miſcentur vtrinque:
Ecce (nefas) Daci priùs auxiliaribus armis
Coniuncti noſtris, miſſo præcone Murathem
Sollicitant, veniamq́; petunt, recipiq́; precantur,
Atque operã ſpondent vltro Martemq́; ſequacẽ.
Spe veniæ facta, digreſſi protinus omnes
Caſtra petũt Regis, nil quicquam hoſtile timẽtes:
Cùm Rex hos ſubitò inuadi, cunctosq́; necari,
Armatosq́; quidẽ iubet, atque ita lumina paſcit, 8. Decem.
Hoſtibus hinc pulſis tota regione potitur. Rhodope.
Ardua iamq́; aditu Rhodopes iuga, frõte gerẽtis 9.
Ac tergo extremo gemini veſtigia clauſtri, (na, Fines Macedoniæ.
Exuperamus: vbi Macedũ quoq; ſtringimus ar- 10.
Tresq́; olim mõtes complexam mœnibus vrbem, Philippopolis.
Mœnib. orbam hodie, fundatã à rege Philippo, Thracia.
Ingredimur. Rurſus præruptũ euincimus Hæmũ, 12. Hæmus mons.
Inſigniq́; Hebri conſtratis ponte fluenta,

13. Moriza fl. olim Hebrus.

14. Adrianopolis, olim Odryſſa ſiue Oreſtias.

Simeon Bulgarus Thraciam populatur & Adrianopolin capit, tempore Conſtantini filij Leonis.

Baldwinus Flãdriæ Comes Adrianopolin obſidet, 1212.

Ioannes Myſus.

Baldwinus crudeliter necatur.

Henricus Balduini frater Oreſtiadem oppugnat.

Conſequimurq́ actis Adriani curribus vrbem.
Bulgaricæ facta eſt gentis modo mẽtio, qualis
Poſt tentata olim Byzantij mœnia & actas
Ingentes prædas, hanc armis ſubdidit vrbem,
Dux quoque captiuos probroſè naribus ipſis
Præciſis, Simeon, Byzantij miſit ad vrbem.
Hãc quoq́ Balduuinus, regni ſortitus habenas
Obſidet erecto vallo, muriſq́ minatur:
Haud procul in latebris Ianus conſederat Hæmi,
Qui Scythico Thracum vaſtabat milite terras,
Intentus ſpoliis: hinc illum ſæpè laceſſens, (nos,
Atque fugam ſimulãs trahit in loca ſtricta Lati-
Donec in inſidias pellectos vndique cingit,
Configit iaculis, cædit, vincliſq́ coërcet.
Ipſe ſimul captus crudeli morte necatur
Balduuinus, manibuſq́ miſer pedibuſq́ reſectis
In foſſam abiicitur, præbetq́ volucribus eſcam.
Supplicioq́ viri plures tolluntur eodem.
Hinc victor Thracũ campos populatur & vrbes,
Iam tantò maiore malo luctuq́ grauatas,
Quòd bini populi diuerſo Marte Latini
Atque Scythæ terrã ſub eodem tempore eãdem
Vaſtarent, nil non patrantes flebile & atrox.
Rurſus ad hãc vrbẽ mouet, ac vi cõcutit omni
Henricus, foſſaſq́ explens irrumpere tentat:
Quem tãdem à cœptis peſtiſq́ fameſq́ repellunt,
Acceptaq́ domum [illegible] cum clade reuerti.
Inde fretũ ſuper[illegible] Hell[illegible], remorante M[illegible]hes
Ne[illegible],

Nemine, poſt alias captas, hanc occupat vrbem, Murathes
Idq́; manu facili: nam rima fortè patenti Adrianop. occupat.
Per murum egreſſus puer ad frumenta metenda, 1363.
Atque viam repetens, à milite cernitur, iſtum
Qui notat inde locum, ſociisq́; hæc indicat ipſa.
Protinus irrumpunt effractis agmina muris,
Atq; vrbem capiunt inopini, ac cædibus vrgēt.
Inde Mahometo facta eſt ea regia primo.
Condidit hîc tectis operoſum & marmore viuo
Manſolæum, vrbis decus alto in colle Selymus. Selymus II.
Hinc cāpo inuehimur, quo ſæuus regna Selymus Selymus I.
Affectans, patri ſumptis occurrit in armis: Baiazeti patri bellum infert.
Sed victus, rurſumq́; patri placatus, eundem
Detruſum regno, fecit remouere veneno, Pugnatur apud Tſchurlum, circa
Parricida loco tandem ipſe extinctus eodem. annũ 1512.
Progreſſis cœpit dextra apparere Propontis, Propontis.
Hoſpitiumq́; dedit murata Selymbria nobis, Selymbria.
Xenodocheia quidem paſſim regione, ſed iſta 19.
Splendidiora patent: iuxtaq́; cibaria dantur Carbaſariæ.
Cocta peregrinis, Baſſis legantibus iſta.
Tandem iter emenſi per pontes margine ſtructos 23. Dec. Cõſtãtinopolis.
Aequoreo, vaſtam Byzantÿ attingimus vrbē,
Quà ſimul occurrens Orator & aulica turba Ioach. à Sintzendorf Orator Cæſ.
More ſalutatos nos deduxere decenti.

HENRICI PORSII I C. ITINERIS BYZANTINI,

LIB. II.

IAMQVE viæ metam nacti, diuturna quiete
Tædia pēſsumus, dum dicta ſumma negotij
8.Ian.80. *Expedienda die eſt. Ergo donaria Baſsis,*
16. *Murathiq; damus, pateras, carcheſia, pelues,*
Horologa automata, ac alia ornamenta, venuſta
Arte laborata, & cuſi ſimul æris aceruum.
Regia Turcicorum Imperatorum ad Cornu ſiue ſinum Ceratinum. *Regia vaſta iacet tumido contermina Cornu,*
Marmore quā vario, portiſq; aulisq; ſuperbam
Ingreſsis, epulum gentis de more paratur.
Carnibus illud humi ſtratum conſtabat ouinis,
Gallinisq; aſsis, variæ quoque ſortis oryza,
Turcaq; ſaccareos potus ex vtre miniſtrat,
Hinc aliqui noſtrûm porta interiore recepti,
Eunuchorum auro quam turba refulgida ſeruat,
Ducimur apprenſis manibus veſtiq; ſedentis
In lectica humili proni damus oſcula Regis:
Confeſtimq; retro regali educimur æde.
Hic auro, hic gemmis, miræq; tapetibus artis
Collucere vides penetralia, regia verè:
Ipſe ſedere ſolet defixo lumine Cæſar,
Quem penes harpus adeſt, pharetræq; arcusq; nitentes.

Regis in obtutu Baſſæ vultumq́; manusq́;
Componunt, tacito venerantes ore tyrannum.
Tum ſimulac mandata ſua expediere loquendo
Legati, portis effunditur aulica turba, (core.
Turba frequens numero, & grato ſpectanda de-
Cætera luſtrandæ damus vrbi tempora & oræ
Finitimæ, pelagoq́; iuuat decurrere cymbis.
Scilicet hæc illa eſt toti notiſſima mundo
Vrbs, qua vix maior, vix vlla potentior extat.

Conſtantinopolis.

Certè ſplendidior non extitit altera quondam:
Induperatorum mater ſedesq́; ſuperba,
Porta potens orbis gemini, geminiq́; profundi:
Condita Byzanti, qui te Neptune parentem
Rettulit, aut (verò ſi res mage conſona) Byzi,
Qui Megaræorum ductor, qua conderet vrbem
Parte ſuis, Pythij ſcitans oracula Phœbi:

Byzas Neptuni filius ſiue, vt alij, Byzes Megarenſium ductor, Byzantij conditor.

Vt terram terræ cæcorum quæreret ipſe
Aduerſam: tulerat reſponſa, notantia tectè
Impare ſortitos poſitu Chalcedonas vrbem.
Hinc exculta frequens, ac decertata ſubinde.
Bellorum & varios fortunæ pertulit actus:
Donec eam, Roma tranſlatis nomine, ſede
Imperij, atque aliis inſignibus ornamentis,
Conſtantine caput feciſti nobile mundi.

Conſtãtinus Magnus ſedem Imperij transfert Byzantium, quam vocat Romam nouam, anno 310.

Nec ſucceſſorum ſtudium vel ad aſtra vehendi
Vrbem ſegne fuit. Septem data damna diebus
Antiquæ Romæ, ſpoliando plura feruntur,
Quàm ſeclo deder[illegible]nato barbarus hoſtis.

Conſtans Heraclij nepos plus 7. dierum ſpacio vrbi Romę detraxit, quã Barbari 200. annis.

Iam quid de tanto ſupereſt ſplendore? quid illis
Eſtatuis? vbi iam monimenta, palatia & aulæ?
Nępe die vrbs hodie eſt quã nocte obſcurior olim.
Templa tamen (veteri ne nil ex vrbe ſuperſit)
Conſecrata modo Mahometi cultibus extant.
Templum S. Sophiæ. *In primis Sophiæ, ſtructura ac mole ſtupendum,*
Quale frequentatur Regi, vicinius aulæ,
Atque operum haud minimum ſtat Iuſtiniane (tuorũ.
Et quæ Turcarum ſibi Mauſolæa ſuperba
Templum Sultani Solymanni. *Erexere dehinc Reges Satrapæq; potentes:*
Quorum illud Solymanni elato colle locatum
Ædes Mahometanæ circiter 400. *Eminet, auguſtum ſalienti fonte, polito*
Marmore, lampadib: nitidis ac turribus altis,
Dimidij formam referens, vt cuncta, cylindri.
Cæſarum ſepulcra. *Lignea ſunt Regum iuxtà ſobolisq; ſepulcra,*
Aediculisq; patent ſtructis viſenda ſeorſim.
Carbaſariæ & balnea circiter 150. *Xenodocheia frequens tẽplis aſtructa cohærent,*
Balnea marmoreis diſtincta receſſibus aptè,
Turcarumq; ſcholæ: contectaq; ſingula plumbo.
Patriarchæ ædes. *Sunt tamen & Græcis, verũ obſcuriſſima tẽpla,*
Præſule poſſeſſum quorum eſt inſignius vnum.
More vbi conceſſo Græci ſua ſacra frequentant.
Fana quoque Armenis extant Italisq; relicta.
Cætera Turcorum luxus expertia & artis
Tecta, locis velut & reliqs, minus alta ſtruũtur.
Hippodromus. *Hippodromus de tot nitidis, quas antè columnas*
Exhibuit, tres iam poſitas ſolummodo ſeruat.
Coloſſus. *Structilis aſſurgit quadrata mole Coloſſus,*

Miran-

Mirandus quondam ac totus veſtitus ab ære.
Baſis habet varias Obeliſci inciſa figuras, Obeliſcus.
Teſſera quem geſtat conſtans ex ære quaterna.
Aeneus hinc ſerpens triplici per mutua nexu, Columnæ ſerpentina.
Cui tripus impoſitus Phœbi fuit aureus olim.
Altera ſtat domui noſtræ vicina Placoto Porphyretica, in Placoto ſeu foro Conſtātini, in ſecundo colle.
In colle: ac pandit rimas ætatē laborans.
Suſtinuit quondam ſtatuam mira arte paratam
Conſtantine tuam, quæ terræ mota tremore,
Ac tandem plurès vento deiecta peremit.
Extat & Arcadij cochlis, diſtincta figuris Columna Arcadij in Xerolopho ſeu foro Theodoſij.
Inſculptis, antiqua eadem rimiſq́; fatiſcens.
Verùm quale tuum eſt iam Conſtātine ſepulcrū?
Porphyricūm, ruptū, vacuū, ſine honore relictū. Sepulcrum Cōſtantini.
Vrbe iacet media ſpacium complexa peramplum Clauſtrum Gynæconitidum.
Clauſtra Gynæcei, proſpectu occluſaq́; ab omni.
Extremo videas pelagiq́; vrbiſq́; receſſu
Firmatam muris ac ſeptem turribus arcem, Septem turres.
Theſauri regum qua conſeruantur auiti,
Ipſa Tunetani quæ iam cuſtodia regis.
Extra vrbem dulces per ſubterranea tecta Aquęductus à Solymāno reſtauratus.
Corriuantur aquæ, longaq́; ambage feruntur,
Ingentis ſumptus opus immenſiq́; laboris.
Præcipua hic liceat ſaltem percurrere bella,
Et quibus inſidiis, & quo ſit ab hoſte petita.
Spartanis (primos vrbis quos eſſe colonos
Nonnulli referunt) primò dux Atticus illam Alcibiades Byzantium occupat.
Proditione adimit, captamq́; aſſignat Athenis.

Philippus Macedo obſidet.
L. Septimius Seuerus Imper.

His rurſum Macedo tentatā Marte Philippus
Eripere annixus, magna cum clade receſſit.
Inde triennali preſſam obſidione Seuerus.
Atq; fame edomitā, qua tūc ad tergora ventū eſt,
Humanasq; adeò carnes (miſerabile) cepit.
Et iam Græcorum regno ſediq; dicata
Induperatorum, plures ea ſenſit ab ipſis
Quàm vel ab externis motus ſæuasq; procellas.
Conſtat enim, quātis, portenta teterrima mūdi,
Flagitiis, odiis, fraude atque cupidine regni
Certarint, aliusq; alium dimouerit vrbe.

Alexius Comnenus vrbem proditione capit.

Pauca modo ſtringam. Comnenus Alexius illam
Cùm cepit, quàm non fœdè direpta, ſtupratæ
Matres ac nymphæ, ſpoliataq; templa; nec ipſis
Abſtentum ſacris tunc eſt à milite Græco?

Auus & nepos Andronici bella gerunt.

Sic auus atque nepos gererent cū bella nefanda
Andronici; ſimul eſt vrbs terna pericula paſſa.
Hac Galatam contra Venetorum ſtabat in armis
Claſſis: & huius opem promiſſo Iunior ære
Sollicitabat, auum debellaturus & vrbem.
Venerat auxilio Seniori Bulgarus ipſe
Princeps, adducens equites ſecum atque cohortes,
Quæ tamen, immiſſo ſolo Duce, ab vrbe fuerunt
Excluſæ, & varias egere hinc inde rapinas.
Iunior infeſtis nequicquam aſſultibus vrbem
Tentat, auū & precibus tandem mollire laborat.
Ipſe preces detrectat auus, regnumq; recuſat:
Cùm duo prodendis pacti de mœnibus ipſi

Cuſtodes reliquos potu uberiore grauatos
Sopiuere, dein ſcalis ad mœnia miſſis
Attraxere hoſtes, laxaruntq́ oſtia portæ.
Irruit Andronicus cũcto cum milite, & vrbe
Sic potitur: Fama pauefactus confugit ædem
Ad ſacram Senior, vitamq́ hoc ſeruat aſylo.
Hanc Thomas etiam aggreſſus terraq́ mariq́, Thomas Cõſtantinus vrbem oppugnat.
Sed tandem abſcedens Adriani venit in vrbem,
Quem Michaël Balbus mox armis ipſe ſecutus,
Obſeſſos fame deuicit: manibusq́ reciſis
Ac pedibus Thomam ſpectãdum inuexit aſello.
Sic Myſos contra dux declaratus, ad vrbem Branas Alexius vrbem oppugnat.
Regreditur Branas, regni cupidiſſimus ipſe,
Hancq́ ſimul pelago terraq́ oppugnat, inani
Conatu, ſtatuitq́ fame excreſcente domare:
Cùm ſumptis animis ex vrbe ferũtur in hoſtem,
Decernuntq́ alacri pugna feruoreq́, tandem
Fugerit vt Branæ abiectis exercitus armis.
Transfixa eſt huius maxilla, & perfidus autor
Belli obtruncatur, proculcaturq́ cadauer.
Eruerat Ianus feruenti lumina aceto Andronicus vrbem capit auxilio Turcorum.
Andronici nato: ſimul hi fugêre petitum
Caſtra Baiazetis pacemq́: haud vana petentes.
Inſtruit auxiliis hos Turcus & ære parato:
Sic vrbem repetunt ac omni robore tentant,
Dedita ſed pactis arx tandem intratur, & ipſe
Rex ſimulac natus multantur carcere ſtricto.
Hinc tamen elapſi quarto cuſtodibus anno

Perſuaſis, ipſi Turci quoque Regis ad aulam
Contendunt, ſocia arma petunt, maiusq́; tributū
Promittunt. Pater interea quoq; mittit ad vrbē,
Ciuium & explorat mentes, natóne ſubeſſe
Núm ve Baiazeti malint ac dedere ſeſe.
Natus Ioannis placet, amotoq́; priore
Cæſaris Emanuel Græci ſortitur honorem,
Myriadesq́; auri tres Turcæ pendit in annum,
Inſuper & gentem veris ſub tempora mittit.
Sic res Græcorum Turcus diſponere cœpit,
Iam Regem ſtatuens ipſis, remouensq́; viciſſim,
Committensq́; ipſos in mutua bella necesq́;,
Vnde optata ſibi ſpes atque occaſio regni
Mox inuadendi effulſit penitusq́; domandi,
Euentus veluti docuit cladesq́; ſecutæ.

Sa[illegible] vr- bem [illegible] o ſe- p[illegible] ex- c[illegible] in[illegible]t, b[illegible]- e[illegible] contis- nuo [illegible]ſidēt.

Hanc infeſtauit pariter Saracenica claſſis,
Quæ repreſſa capit vicinam Cizycon, vnde
Excurrens petiit crebris inſultibus vrbem:
Donec Iſaureo Græcis dominante Leone,
Rupta fuit partim fame, peſte et fulmine, partim
Subter aqua facto, qui naues vreret, igni.

Ba[illegible] ph[illegible] tu[illegible] excæca- vit 15 millia Bulgarorū.

Hanc quoq; gens variis afflixit Bulgara bellis,
Quam malè Baſilius tandem multaſſe refertur,
Qui ter quinquè oculos effodit millibus vno
Singula per centena viæ ductore relicto
Vnoculo: hinc gentem cunctam terrasq́; ſubegit.

Crumus princeps Bulg. Ni-

Fortè vetus tantas iniuria ſubdidit iras
Baſilio: princeps quòd victi Bulgarus antè

Nice-

Nicephori capite in menſis ſolennibus vſus
Pro cratere fuit, pœnas poſt gente datura.
Vrbem etiam Ligures claſſe obſedere, grauiq́;
Clade data, pariterq́; iſthinc ceſſere recepta.
Hoſce Palæologũq́; inter quoque pugna ꝓpinquo
Aequore cõmiſſa eſt, palmam referentibus illis.
Quin vrbi longinqua interceſſere Peræq́;
Bella: ſed hac tandem domita capientia finem.
Ad Græcos redeo, Græcis iunctosq́; Latinos.
Comnenus fratrem priuatum lumine Iſacum
Deiicit imperio, ſed libertate relicta.
Submonet is natam pariter generumq́; Philippũ
Teutoniæ Regem, factum conqueſtus iniquum,
Auxiliumq́; rogat potiundi ſede priori.
Interea è vinclis natus dimittitur, vnà
Conſiliumq́; fugæ capiunt, ac Sicula quærunt
Littora, complexu grato votisq́; potiti.
Fortè petituri Solymos ſacrumq́; ſepulcrum
Flander erat, comitesq́; alij, quos Dãdalus arma
Ad ſocianda vocat, Manorte vlturus aperto
Offenſas Venetis ac damna illata per vrbem.
Arripit hanc anſam gnatus, claſſemq́; ſecutus
Vendicat imperij ſibi debita iura paterni,
Sollicitátq́; operam, promittens munera larga.
Pacta incũt, ſpõdentq́; operã, tẽduntq́; per æquor,
Appelluntq́; vrbi, quã cunctis protinus vrgent
Viribus, oppugnant flammasq́; in tecta volutãt.
Re deſperata profugit Alexius vrbe,

cephori Imper. cranio deargentato vſus pro poculo.

Vrbs à Genuenſibus obſeſſa anno 1 . 4 .

Alexius Comnenus auxilio Balduini Flandri, & c Conſtantinopolin occupat.

Baldwinus Flãdriæ Comes, & Bonifa Mar Manu ra

Iſacoq́; iterum regnum defertur, & huius
Conſorti gnato, breue ſed dubiumq́; futurum.
Namq́; ſibi expleri cupiunt promiſſa Latini,
Atque vrbem affligunt: quibus hinc Murzufilus
Opponit, quãuis haud multo milite ſeptus. (arma
Hinc plebeia cohors iſto ſub turbine rerum
Deficere inducit, ſtudia in contraria ſciſſa.
Nicolaus Canabus Cæſar inauguratur. *Concurſu in templum facto diuerſa Senatus*
Conſilia ac proceres agitarunt: inde Canabum
Inuitum Regem faciunt donantq́; corona.
Hiſce ſupêr animam turbis Iſacus agebat,
Filius aſſignans regnum ſibi, deinde Latinos
Accerſit, recipitq́; intro, ac ſe munit in arce.
Murzufilus non ipſe ſui, reive gerendæ
Oblitus, partes ad ſe trahit, atque Canabum
Nocte intempeſta mœrenti ſubmonet ore,
Inſidias ipſi fieri, armatosq́; morari
Ante fores, caput ipſius vitamq́; petentes,
Perſuaſumq́; foras ſecreta per oſtia ducit,
Alexius Ducas Murzufilus imperiũ arripit. *Arripit hinc regni faſces: & carcere fœdo*
Iſaco genitum conſtringit, bisq́; veneno
Exhibito, tandem laqueo ipſi guttura frangit.
Hinc aciem contra Balduuinum educit, & acrẽ
Inſtituit pugnam: verùm trepidantibus alis
Dilapſisq́; ſuis pugna deſertus in illa eſt.
Obſidione premunt vrbem vehemente Latini,
Nec cœpto abſiſtunt, vllos fugiúntve labores,
Mœnia dum ſuperent, optataq́; vrbe fruantur.
Murzu-

Murzuſilus capit ipſe fugam, ſed poſtea viſu
Orbatus ſoceri iuſſu, celſaq́; columna
Demiſſus præceps miſerabile terminat æuum.
Sic Balduuinus eam ſortitur, & ordine regni
Hæredes habuit: dum proditione receptam
Fortè Palæologus Græcis denuò aſſerit vrbem.
Hoc abſente tamen ſubrepit Alexius alter,
Suffoſsiſq́; viis, ſtipatus milite pauco
Intrat, & horrendo facto clamore, referta
Tanquã vrbs hoſte foret, ciuẽs intra tecta retẽtat,
Effractiſq́; dein portis ſocia agmina cogit,
Immittenſq́; vrbi, regnum ſine cæde capeſsit.
Vltimus è Francis Balduuinus Regibus antè
Fugerat, exemploq́; ſuos trahit ipſe ſecutos.

Baldwinus Cõſtantinopolin occupat, anno 1212.

Michaël Palæologus, 1260.

Alexius Strategoplutus.

Primus eã Ottomanûm diuturno Marte gra-
Vſque Baiazetes in rerũ anguſta redegit. (uatã
Omnibus abſumtis vt vel capienda tyranno
Vel dedenda foret: ni Tamberlanus eodem
Tẽpore mille hominũ ducẽs ſecũ agmina, ab vrbe
Abſtraxiſſet eum, quem poſtea diſpare pugna
Congreſſum cepit, caueæ incluſitq́; curuli.

Baiazetes Conſtantinopolin obſidet.

Capitur à Tãberlano Scytha, anno 1397.

Hanc tandem aggreſſus terraq́; mariq́; potẽter
Vndique Mahmetes oppugnat, & occupat alter,
Funeſtum heu genti damnum, funeſtius orbi.
Fortè Peram accepto tranſibas vulnere, cauſans
Iuſtiniane malum hoc: nam ſic ſtatione relicta
Attraxiſti hoſtes, vacuis qui mœnibus iſtic
Confertim aſtantes irrumpunt, obuia ſternunt,

Mahometes II. occupat, 4. Cal. Iul. 1453.

Ioannes Iuſtinianus Dux.

Diripiunt ædes, ac cædibus omnia miſcent.

Interitus Conſtantini Imp.

Ipſe Palæologus certatim plebe ruente
In porta oppreſſus fatum miſerabile finit.
Sic quæ præfulſit quondã decus vrbium & orbis,
Hoſpitium Chriſti, doctrinæ mater, alumna
Muſarum, fœcunda penus, cauponaq́; luxus:
Nunc obſcura iacet, decorumq́; oblita, miniſtra
Impietatis atrox, doctrinæ inimica, malorum
Colluuies, iam parca penus, ſpeluncaq́; triſtis.

Cornu ſiue ſinus Cera-[illegible]us.

Vrbem inter Galatamq́; Ceras, quo tutior alter
Haud vſquam portus, ratiúmve capacior extat.

G[illegible]ta, olim Pera & Syce.

Hinc Galata accliuem tractum ſortita domosq́;
Mœnibus excelſas claudens, mercesq́; frequentãs,
Chriſticolæ ciui maiori ex parte tenetur:
Cui quoque tẽpla patent tractandis libera ſacris.

N[illegible]ale re-[illegible]um.

Littore ſpectatur Regis nauale Canopo,
Diſpoſitæq́; ampla plures ſtatione triremes.

T[illegible]pana.

Parte alia tormenta iacent proiecta ſine vſu
Grandia, Chriſticolis diuerſo tempore adempta:

T[illegible]ium [illegible]chea [illegible]li, [illegible] regia [illegible]. [illegible]us T[illegible]us.

Nuper vbi templum ſumptu ornatúque locauit
Ingenti claſſis præfectus: qui Italus ortu,
Deſertaque fide tanto iam munere pollet.
Iamq́; freto ferri iuuat, ac tua Boſphore obire
Littora, qui ſtrictis orbẽ ac mare claudis vtrũq́;
Recludisq́; viis, olim domus hoſpita diuûm.
Te quondam compreſſa Ioui, ſub imagine vaccæ
Iunonis ſtimulata œſtro tranauerat Io,
Impoſuitque freto nomen, partúque biformem

Byzantis

Byzantis matrem Ceroëſſam enixa refertur.
Qua promontorio moles turrita videtur
Impoſita Hermæo (Mahometo caſtructa ſecundo
Ante vrbem captam eſt: eadem cuſtodia victis
Principibus) poſitúmque aduerſo littore caſtrum:
Strictius eſt, tortíſque fretum violentius vndis.
Creditur hîc olim, cùm genti bella Scytharum
Illaturus erat, portem iunxiſſe Darius,
Signáque in Europam ſua tranſmiſiſſe per illum.
Hinc ſinus occurrit, poſuiſſe vbi pharmaca Col-
Medeã perhibent, dictus Therapicus inde: (chã
Nam quoties fatale malum ſæuiret in vrbe,
Tũc homo protractus deformior, hoſtia tanquã,
Et ficus offãque retenens poſt verbera ſeptem
Igne cremabatur, cinere in freta proxima ſparſo.
Hinc petra, qua fama eſt Euxina per æquora
Depoſuiſſe duos aurũ cum fœdere, ne quis (ituros
Tolleret abſente id ſocio: veniente ſed vno
Capturóque aurũ latuit, pòſt redditum vtrique:
Vnde ſimul ſcopulus retinet cognomina iuſti.
Poſt hæc in fauces ſubitò diducitur amplas
Euxinus dictus non vero nomine Pontus.
Nauibus infidus, nec tutus portubus vllis,
Obſcurus crebris nebulis, fluctúque ſonorus.
Hîc illæ fama notæ Symplegades, olim
Motibus infeſtus quæ concurriſſe leguntur:
Fortè quòd occluſum tenuit ferus accola vtrinq;
Boſphoron, & naues hoſtiliter intercepit:

Neon caſtrũ ſiue turres nigræ, Læmocopia.

4. ſtadiorũ. Longitudo 3. milliariũ Germ.

Pons Darij regis Perſarum

Sinus Pharmacias ſeu Therapicus.

Mos veterũ tempore famis vel peſtis.

Petradicæa.

Pontus Exinus, olim ἄξενος, ἀπόξενος & κακόξενος, hodie mare [illegible]rum.

Symplegades ſiue Cyaneæ, quas Iaſon primus aperuit.

Donec eas Argo vectus recluſit Iaſon,
Phinei indicio regis, qui caſſus vtroque
Lumine commiſſi pœnam miſer inde luebat.
Littora cingebant quondam delubra Deorum,
Crudelisq́; Amyci ſedes, qui fortè laceſſens

Laurus inſana, autor Dionyſius Byzantinus.

Pollucem lucta cecidit, verſusq́; furentem
In laurum eſt, cuius (mirum) in conuiuia rami
Illati quoque conuiuas fecere furentes.

Cyanea.

Præ reliquis ſcopulus ſublimior extat in vndis,

Columna marmorea.

(Quem ſubrependo ſuperauimus) Alba columna
Huic ſuper impoſita eſt, baſisq́; exciſa figuris,
Forſan Apollineæ formam referentibus aræ.
Hanc licet elatam, fluctu cùm pontus inhorret,
Subſiliente peti referunt aſpergine aquarum.

Pharos ſiue Laterna.

Summa quoque aſſurgit vicino littore turris,
Dicta Pharos, præbetq́; omni de nocte lucernam,
Indice qua poſſint ſcopulos vitare minantes,
Atque magis certo decurrere tramite nautæ.

Chryſopolis hodie Scutari, in promontorio Damalico Aſiæ. Chryſes Agamemnonis filius.

Trãſeo Chryſopolin, quæ littore terminat arctũ
Boſphoron incuruo, retroq́; Propontida ſpectat:
A Chryſe ducens nomen, cui ſæua nouercæ
Effugienti odia, ac aditurum in Colchide agentẽ
Germanam, fatum hîc obuenit honorq́; ſepulcri.
Iam nudata patet muris, templisq́; duobus,
Inſignis tantùm, mercatum præſtat equorum.
Regia viſuntur circum topiaria, & horti
Floribus egregij pictis multaq́; cupreſſo. (ſus,

Chalcedon.

Hinc via nõ longinqua patet Chalcedona ver-

Vrbem

Vrbē olim celebrē, iam pauca mapalia habētem,
Sacratamq́ humilem Græcorum ritibus ædem.
Portus vbi Eutropij miſeranda cæde notatus
Mauritij proliſque ſuæ generíque, iubente Mauritius Imp. cum ſuis à Phoca interfectus.
Crimen atrox Phoca, ſimul & ſpectante tyrāno.
Hoc noſtri ſpacium excurſus, hic terminus eſto.

HENRICI
PORSII I C. ITINERIS BYZANTINI,
LIB. III.

INTEREA *plenos vicibus bis fecerat orbes*
Cynthia ſeptenis: cùm lōgiùs vrbe morandi
Pertæſum pelago iuuat ire, ac Turcide licta
Limite longinquo Venetos inquirere portus. Ioannes Adamus Hofmannus & Wolfius Wilhelmus ab Herberſtein LL. BB. Georgius ab Aſch Bauarus.
Eius erant animi pariter, qui nuper ad vrbem
Appulerāt comites Legati, Hofmānus, & alter
Herberſteiniades, patriæ flos ſtirpis vterque.
Te quoque propoſitis iunxiſti curſibus Aſchi.
Ergo vbi ſecuri cond[illegible] copia facta eſt,
Ingredimur nauim, ac nondum Titan[illegible] retecto

5.Martij. 81. *Vela damus læti, vaſtamq́ relinquimus vrbem,*
6. *Sulcanteſq́ cauam felice Propontida vento,*
8.Callipolis. *Callipolin dextro ſpectandam littore obimus,*
Helleſpontus. *Anguſtoq́ freto ſubmerſæ allabimur Helles,*
Caſtella, ſiue Dardanelli, quondam Seſtus & Abydus. *Quà luſtranda fuit pro conſuetudine nauis.*
Frontibus oppoſitis duò ſe caſtella tuentur,
Murorum fabricis tormentorúmque paratu
Inſtructa horrēdo, quondā vrbes nomine Abydi
Ac Seſti celebres: queis iam claſſiſve ratiſve,
Nulla fretum inuitis impunè petiuerit iſtud.

Xerxes Rex Perſarum cū 1000000. mouit in Græciam. *Hic iunxiſſe ſubit nauali littora ponte*
Xerxen, vbi innumero terrebat milite Græcos,
Qui tamen eſt pugnis fuſus ceciditq́ quaternis.
Leander & Hero. *Hicq́ tuus ſubiit (niſi fingunt omnia vates)*
Impertæſus amor nandíque pericla, Leander.
Murathes I. Callipolin cepit. *Callipolis dicta eſt: q̄ quōdam à Rege Murathes*
Græcorum excitus cepit: progreſſus & vltra
Bulgariæ, Thracúmque & Myſûm rura ſubegit.

Petrus Lauredanus Venetus Mahometum vicit ad Callipolin. *Hanc prope non multo pòſt tēpore, claſſe potēti*
Exuit, ac grandi Mahometum clade grauauit
Dux Lauredanus, Venetorum miſſus ab vrbe.
Græci Muſtafam Murathi Imp. patruum accerſunt. *Porro Amurathe dehinc rerū potiente ſecundo,*
Ipſius accerſunt patruum, tum fortè morantem
In Lemno Græci, bello oppugnare Murathem
Polliciti, atque ipſum regali in ſede locare.
Obſidibus petit ille datis ac munere pacem,
Ac dare Callipolin promittit & oppida plura,
Muſtafan vt miſſum faciat, neutrumq́ iuuare

Indu-

Inducant. Primò rex aſſentire Ioannes, *(mis.*
Pactáque habere rata, ac ſumptis ſecedere ab ar-
Mox animũ mutare, Murathi rumpere fœdus,
Muſtafan inſtruere auxiliis Regemq́; vocare,
Huic ſe Callipolis venienti dedit, eandem
Poſtulat ex pacto Ianus: nec Muſtafa durus
Promittit regno obtento ſe plura daturum.
Fortè Baiazetes Adriani præerat vrbi, Baiazetes
Qui pugnam inſtituẽs huic obuius ibat: at omnis præfectus
Tranſitione ſtatim facta ſe exercitus hoſti Adrianopoli.
Coniungit: Dux ipſe ſimul proiectus adorat
Muſtafan vt Regem, facti veniamq́; precatur.
Hunc prece neglecta truncari Muſtafa iuſsit,
Mox & Oreſtiadem, vicinasq́; occupat vrbes.
Inde fretum ſuperãs Helles rectà ipſe Murathem
Impetit, iſte ſuos amandat, & ille Ioannem
Ad regem: auxilium pacemq́; vtrique rogatum.
Fit mora legatis, tandem ſtatuitq́; Ioannes
Muſtafan ipſe ſequi, parteſq́; fouere priores.
Vt rediere ſui legati in caſtra Murathis, Mirum ſtrategema.
Rumorem ſpargunt ſimulataq́; gaudia, Græcos
Ad partes tranſiſſe ſuas, ſociosq́; futuros.
Territus hoc rumore fuit tum Muſtafa (Cuius
Necdum legati fuerant ex vrbe reuerſi)
Tũ quoq; caſtra metu dilapſa feruntur ad æquor,
Europamq́; petunt, fugi[illegible] Muſtafa venit
Callipolin, quem co[illegible]no ære Murathes
Inſequitur naui Li[illegible], p[illegible]nsq́; T[illegible]o

Muſtafa ſträgulatur.

Monte ſub arbuſto latitantem oſtendit, & ipſi
Protinus iniecto confregit guttura reſte.
Hinc & Byzantij, ſed inani mœnia niſu

Murathes Byzantium obſidet.

Obſidet, excludens Græcos à pace petita.
Hic neque Turcorũ clades reticenda; Michaël

Turcorum clades ad Cherſonneſum.

Quam pelagoq́; dedit pariter caſtroq́; propinquo,
Quod tenuere illi, Græci obſedere, frequentes
Hinc atque hinc ſoliti conflictus edere, donec
Acriùs obſeſſi, caſtri dubiíque tuendi,
Nocte fugam capiunt media, nauesq́; petentes
Fortè tenebroſo tunc aëre, ab hoſte premuntur,
Cæduntur q́; vagi, plures merguntur in æquor,
Sic declinantes fumum labuntur in ignem:
Inq́; poteſtatem Græcorum arx inde rediuit.
Sed minùs hæc diuturna fuit poſſeſſio Græcis:
Hæcq́; vel in primis, tanquam opportuna tenẽdo
Tranſitui, Europæq́; ſimul Mauorte premendæ,
Caſtra petiuerunt Turci, tandemq́; pudenda
Segnicieq́; & perfidia viciisq́; nefandis
Græcorum, cepere, modis firmataq́; miris,
Nec facili forſan dextra eripienda tuentur.
Egreſsis fauces muri veſtigia læuo
Littore cernuntur, Troianæ credita Græcis
Arcis reliquiæ, ſed falſo autore, modernis.

Sigæũ promontoriũ, ſiue Aiantiũ.

Id promontorium (quod veriùs eſſe Sigæum
Crediderim, Aiacis [illegible] orabile buſto,
Qua ſtatio fuer[illegible] carinis.

Phrygia.

Hic et[illegible] ſcribunt
Conſtan-

Conſtantinum vrbis: Byzantij poſtea viſo
Commodiore ſitu cœptos liquiſſe labores.
Interiore patet regio Troiana receſſu.
Nulla tamē veteris monſtrans monimēta ruinæ,
Déque ſitu dubitanda adeò ſunt mœnia vero.
Eſt in conſpectu Tenedos, Mitylenaq; clara,
Nocte procelloſa quarum propè legimus oram,
Inde Chio expoſiti, portamq; intrare volentes,
Audita peſtis ſparſuræ ſemina fama,
Puppe receptamur, quadrataq; mœnia paruæ
Vrbis tranſimus, ſpeculisq; frequentibus hortos,
Maſtygis egregiæ, leutiſci è ſtirpe feraces.
Inter ſeptenas quem ciuem vendicat vrbes,
Mæonij hæc vatis fertur tenuiſſe ſepulcrum.
Ipſa diu Ligurum (velut & Pera) paruit vrbi,
Cæſaris Andronici dono conceſſa, fidelem
Propter opem bello latam: ſed capta reuerſis
A Melita Turcis, cladis ſolamen acerbæ.
Iamq; remittenti flatu vix littora læuæ
Conſequimur Deli, & nauim iacta ancora ſiſtit.
Hinc terram ingredimur: non terra ciuis in iſta,
Non animal, non tecta, ſed infinita videntur
Marmoraq; & ſtatuæ mutilatis partibus omnes,
Vrbis magnificæ quondam certiſsima ſigna.
Cynthum [illegible] latere [illegible] rupto ſcādimus altū,
Diſiectis aſp[illegible] ſaceli
Præbentem [illegible] oracla dabantur.
Nam locus [illegible] ſorori,

De vero ſitu Troiæ etiānum Strabo dubitauit. Nunc ſeges eſt, vbi Troia fuit, &c. Ouid. inſpector eius territorij.
Tenedos, Mitylene ſiue Lesbos.
Chius celebris ob prouētum maſtygis.
Sepultura Homeri in Chio.
Chius Genuenſib. donata, capta [illegible] Turcis, anno 1565.
12. Delos ſiue [illegible], hodie Dile.
Cynthus mons.
Phœbi & Dianę cunę.

Natales dederat cunas, delubraq́ ſacra.
Python ſerpens. *Hîc matrem inſectans immani corpore Python*
Vindicibus iaculis tibimet confixus & arte eſt,
Hîc cytharæ ſonuere tuæ cantusq́ ſacrati:
Hîc agiles (vt fama) feras agitare ſolebas:
Huc infiniti variis è partibus orbis
Confluxere homines, operum reſponſa petentes.
Nunc alius te Phœbe pater Muſasq́ ſorores
Eiecit Python, longeq́ nocentior illo,
Quærere Parnaſſosq́ alibi Cynthosq́ coegit.
14. Mycone. *Aduehimur Mycone remis, arcemq́ vetuſtam*
Interiore ſinus luſtramus parte iacentem.
Tenos ſiue Tino. *E regione iacet Tenos, quæ rupe peralta*
Eminus oſtendit non expugnabile caſtrum,
Sola è Cycladibus Venetûm in ditione retenta.
Hiſce diebus erat tantus per Cyclades æſtus,
Quo maior noſtris agros, cùm Sirius vrit,
Intenditq́ ignem, vix in regionibus extat.
17. Paros, Seriphos, Naxos, hodie Nixia. *Hinc niueaq́ Paron præter Seriphonq́ iugoſam,*
Et Naxon vehimur, regnatam tempore priſco
Baccho atque Hippotadæ (qui quod fumante futuros
Æolus quare rex ventorum. *Prædixit terra flatus, rex creditus horum eſt)*
Dicitur hoc Theſeus raptam Minoida quondam
Deſeruiſſe loco, & Phædram abduxiſſe ſororem.
Illa tamen Baccho placuit ſocianda marita,
Poſtea Mulciberi dono decorata corona,
Nomine quæ noto nunc inter ſidera fulget.
Hanc ipſam A[illegible] belli,
Vicinasq́

Vicinaſq́ ſimul Peleus ditione premebat:
(Quamuis ſint reges habiti, quibus vnica fortè
Inſula vel terra, aut vrbecula paruit vna)
Mox Gyaron nacti, celſam conſcendimus arcē, Gyaros ſiue
Subiectam Turcis, Græcis tantumq́ colonis Syra.
Poſſeſſam, fidei quoque libertate manente.
Rurſus vela vocat ventus, Cæamq́ videmus, Cyclades in
Andron, & hinc illinc diſperſas æquore terras. Archipelago.
Ecce polus denſa viſus nigreſcere nube, Thermia,
Luctantes mouit ventos imbremq́ ruentem, Cæa, Eubœa, Poly-
Vnde vacillauit fluctu voluente carina. candros,
Illa tamen vento tempeſtas mota ſecundo, Chymolos,
Propulit optato nos per vada cærula curſu. Argenterra.
Tūquoq́ trāſiimus Chymolon, Milonq́ ppinquā, Milos ſiue Mimalida.
Mater adorata eſt qua quondam ſacra Deorū:
Hinc procul aſpectæ Cretæ contingimus oram, Creta in mari mediter-
Linquentesq́ ratē Rhetymi acceptamur in arcē, raneo.
Extructam nouiter Venetis, in monte minātē Rhetymū.
Deſuper antiquis nudatæ mœnibus vrbi. 19.
Inde recedentes percurrimus æquora lembo, 30.
Ac tandem auſpiciis aperitur Candia lætis, 31. Candia.
Candia murorum fabricis, tactuq́ marino,
Aggeribusq́ potens craſſis, ac milite lecto.
Cæca quoq́ ambigui Labyrinthi tecta ſubimus, 17. Apul.
Rupea, crebra viis, grandiq́ exciſa labore, Labyrinthus.
Dædaleæ vetus artis opus, quo ſemiuir ille Minotaurus
Obiectata ſibi diſcerpſit corpora taurus, à Theſeo
Cæſus ab Egyde tandem, [illegible] regia nata interfectus.

Fila miniſtrarat dubij rectricia greſſus.

Caſtellum nouum, potiùs vetus, regum Cretenſiū ſedes.

Oppoſito caſtrum ſupereſt in monte vetuſtum,
Deſertumq́; nouum diuerſo nomine dictum,
Gnoſſus, vti ſermo eſt, Minois regia quondam.
Inde patet campus longum porrectus in æquor,
Læta virēs, cū terra iugis reliqua horreat aſpris,
Fœta oleæ tamen, & cypariſſi & dulcis Iacchi,
Formidanda ferens animalia nulla veneno.
Apparent iſthic vrbis veſtigia priſcæ,
Siue ea Metropolis, ſeu fors Cortyna vocata eſt,

Creta olim Hecatompolis, hodie Tripolis.

Ipſa è centenis non vrbibus infima quondam.
His ita luſtratis iuga per vallesq́; venuſtis
Lucentes hortis, notam repetiuimus vrbem.
18 *Quā prope mōs cunis Iouis inclytus Ida, Deabus*

Ida mons.

Diisq́; frequentatus, ſublimi vertice ſurgit.

Sarraceni inſulam tenuerunt annis 500.

Paruit iſta diu Saracenis inſula, quorum
Imperium quondam latum ſe extēdit in orbem:
His tamen oppreſſis per fortia prælia (tantam
Carole Magne tua gentem virtute domabas)
Ad Græcos rediit reges ac priſtina iura.
Hanc aliquando dolo cepit piratica turba,
Obſcuræq́; viri ſortis, qui nauibus iſtic

Piratæ Genuenſes vrbem occupant.

Appulerant quinis ſimulantes vendere merces
Vrbe receptantur, quos plures nocte triremes
Sectantur, portasq́; petunt, vrbemq́; capeſſunt.
Mox etiam tota Cretæ tellure potiti:
Sed regnoq́; breui, felice parumq́; futuro,
Nam Balduuinus eam ſimul ac Byzantia regna

Obti-

Obtinet, ac ſocio belli (qui Marchio Montis
Ferrati fuit) aßignat pro munere Cretam.
Vendidit hic auro Venetis, qui pluribus annis
Sub ditione tenent hanc præſidioq́ tuentur
Italico, fidei cùm ſit gens Græca labantis,
Ipſa (modò liceat) ceſſura libentiùs hoſti,
Qui ſitit hanc captatq́ auidè, nec tempora forſan
Apta prehendendi linquet, licèt ardua votum
Ac munita ſatis iam propugnacla morentur,
Marte quidē valido non pridem inuaſit eandem
Sed fruſtra, ſed non parua cum ſtrage reiectus,
Dumq́ moramur ibi, luſtrantes mœnia & agros,
Cynthia commißis impleuit cornibus orbem.
Ergo iter vrgentes laxamus denique vela,
Vela reluctanti nimis ah nimiſ obuia vento.
Prouectiq́ Sudæ fines Rhetymiq́ ſecundò
Cernimus, atq́ operum firmam compage Caneā,
Vicinumq́ vrbi ſcopulum, valida arce minātem.
Hinc maris Ionij tumidis fluitamus in vndis,
Multaq́ in aſpectu Crete eſt, & multa Cythera,
(Quæ tibi ſacra, Venus, poſita fuit æde, Lacenam
Ex qua Priamides Helenam rapuiſſe refertur)
Nec non Tænarium, & littus complexa Corone,
Adq́ ſinū pariter tēdens maris ampla Methone,
Vtraque munita, ac variis exercita bellis.
Hanc Iſthmo circum ſuperato trina locauit
Caſtra Baiazetes, ac vires impulit omnes:
Præſidium ſociis cùm f[illegible] triremibus alto

Barbaroſ. oppugnauit Caneā & Rhetymum. 1538. 27. April.

Suda caſtellū & portus capaciſſim⁹, ſicut & Spinalonga.

Canea, olim Cydonium.

Scoglio.

Cerigoto deſerta Cerigo, olim Cythera.

Morea ſeu Peloponneſus.

Tænarium promontor. ſiue Leuctra, hodie Capo di Maira.

Corone, Methone, hodie Modonna.

Sphra[illegible]a vel Sapientia.

Methone occupata à Baiazete, anno 1500. item Pylus, hodie Nauarinū.

Conſpectis, temere vrbe ruit, Turcisq́ relinquit
Irrumpendi anſam: mox inſpectante tyranno
Ad littus cæſum luit hoc cum ſanguine factum.
Neſtorea exemplo Pylus ac vicina Corone
Territa ſeſe vltro venienti dedidit hoſti. (*thone,*
Strategema Saluiati Rhodiarum triremiũ præfecti, anno 1532. *Capta foret quin fraude, parum abfuit inde Me-*
Cùm merces ſimulans venales Italus heros
Nauigium armato compleuit milite, portis
Qui ſubitò irrupit cæſis cuſtodibus vrbis:
Sed prædæ magis intentus cupidusq́ rapinæ,
Vrbano ſparſim ſuccumbit ab hoſte peremptus.
Corone capta à Cæſarianis duce Andrea Auria, anno 1533. *Tandem Hiſpana petit claſsis ductore Coronen*
Auria, & ex omni conſtrictam parte fatigat,
Altera vix vnquam tanto numeroq́ fragoreq́
Vrbs tormentorum ac aſſultu quaſſa refertur.
Turcica iamq́ aderant vrbẽ ingreſſura latenter
Subſidia, & fuerat pars intromiſſa: ſuprema
A tergo noſtris pars capta ſequentibus, vnde
Et pauor & fuga turbatos inuaſit: eratq́
Foſſa parata dolo Turcos hauſtura ruentes.
Anno 1534. *Sic noſtri cæſis ſunt hoſtibus vrbe potiti:*
Quã mox educta repetens Solymannus eandem
Claſſe, parum effecit, noſtra accelerante viciſsim
Occurſum, pugnæ naualis amore ciendæ,
Cui tamen haud auſi ſe ſunt committere Turci.
Corone deſerta ab Hiſpanis eodẽ anno. Maij 20. *Hinc noſtros peſtisq́ fameſq́ ex vrbe fugabat,*
Inq́ poteſtatem Turcæ deſerta redibat.
Sic Coro reflante vagis errauimus vndis,

Cùm

Cùm tandem tepido ſeſe extulit Eurus ab ortu,
Intempeſta ſonans, tranſuerſo & flamine nauim
Propulit, ac curſu noſtro ſpectante Zacynthum,
Præter agēs nauim Cephalenes portubus infert,
Hinc quoque digreſſis à dextra parte recedunt
Regna Laertiadæ verſuti, atque ardua ſaxis
Neritos, & ſcopuli Leucatæ, & Echinades, olim
Harpyiis diris infames, inde fugatis:
Iam claræ Harpyiis Turcis hac parte ſubactis,
Nempe illa, cui vix ſimilem reminiſcitur ætas
Vlla, ſub auſpiciis Venetûm, pugna atq; triūpho.
Vtq́; hæc læta fuit cunctæ victoria genti
Chriſtiadum: ſic & monet illætabile quiddam
Vicinus pugnæ locus, ac reminiſcitur ætas
Noſtra, quòd occluſus, prædæq́; futurus opimæ
Barbarus euaſit noſtram ſiue vulnere claſſem,
Fortè aut deſidia noſtrûm, aut prodente Capello,
Qui Venetæ fuerat ditionis in æquore rector.
Iamq́; pateſcebant ſuperata, ſumma, Pachiſo
Littora Corcyræ: tùm aduerſo Corus ab axe
Prorumpens fluctus inſano turbine tollit,
Horrendumq́; minans ſonitat: nos carbaſa tenſa
Contrahimus, ventoq́; retro fluctuq́; ferente
Rurſus ad ingratam Cephalenes pellimur oram.
(Illic naufragium feciſſe ſubibat Vlyſſem, 30.
Corcyræq́; ſolum dubio tetigiſſe natatu: 31.
Certè naufragij nos terror agebat ibidem)
Laxatis iterum velis curſuq́; fauente 4. Iunij.

Zacynthus, hodie Zanthe.
Cephalonia, ſiue Dulichium, itē Same, ditionis Venetorū.
28. Ithaca, hodie Theachi, Neritos vel S. Maura, ditionis Turcorū.
Echinades, Strophades, hodie Curzolari, celebres memorabili illa clade Turcorū, accepta anno 1572.
Anno 1538. claſſis Chriſtiana eodē propè loco concluſerat Barbaroſsā, qui tamen poſtea euaſit.
Pachiſus, hodie Pachſo.

8. Corcyra, Corfu Venet. *Rectiùs, aſſequimur portum Phæacidos amplum.*
Hîc & naturæ videas miracula & artis.
Namque illa excelſos ſcopulos eduxit ab undis:
Hæc fortes muros & propugnacula ſuprà
Ac circũ poſuit: contrà & noua clauſtra, nouamq́;
Vrbem intermediam mira breuitate locauit,
Molis & inſolitæ tormentis intus adauxit:
Diuina vt dicas opera hæc vereq́; ſtupenda,
Italiæ clauem vicinorumq́; locorum,
Corcyra à Turcis obſeſſa, ac miſerè deuaſtata, anno 1537. *Hanc capere infeſtis armis Solymanne parabas,*
Sed ſpe deiectus vaſtabas cætera ferro
Atque igni, abducens hominũ quoq; millia plura.
Inſula oliuetis tamen hæc & flore venuſto
Horti Alcinoi. *Luxuriat, verè teſtans viridaria terram,*
Alcinoi fama celebrata, fuiſſe per iſtam.
22. *Soluimus hinc etiam, portuſq́; anguſta parũper*
Egreſſi, triduum vento ceſſante moramur.
Haud certè abſque metu: cùm paucis ante diebus
Piratæ naues cepiſſent partibus illis.
Dextra Epirus erat, portuſq́; Valonicus hoſti
Aſuetus: Sic & Turci, tempuſq́; locuſq́;
Velle videbantur nos oppugnare ſubinde:
Tormentis tamen euentum ſolantibus omnem
Et ſaxis, quibus intus erat completa carina.
Mare Adriaticum. *Speratoq́; aliquã prouectos flamine; rurſum*
Oppoſito noſter flans cardine & hoſpes & hoſtis
Vſque repellendo pugnabat: iamq́; remittens
Iamq́; nouans vires dubia nos ſorte premebat.

Errantem

Errantem Corcyra ratem Epiruſq́; videbat Epirus ſiue Albania.
Et campi Apuliæ, poſitumq́; in littore Hydruntũ, Apulia, Hydruntum, ſiue Otranto.
(Quod captũ eſt Mahomete tibi, cũ terna moue-
Bella ſimul, toto ſpirans dominarier orbe: (res
Mors tamẽ euertit tua cœpta animosq́; ſuperbos,
Vrbsq́; recepta ſtatim, Regi modo paret Ibero)
Acceſſitq́; fames, plerunque domeſticus hoſtis
(Culpa Core tua) dulcisq́; penuria lymphæ.
Corcyram tandem regredi ſententia ſtabat,
Naueq́; conuerſa iam vento vela dabamus,
Cùm mox ille ſimul vires & vela reliquit,
Succedensq́; nouus meliori tramite vectos 12. Iulij Raguſa, Schlauoniæ vrbs, olim Epidaurus.
Fortè Raguſeæ nos mœnibus appulit vrbis.
Hanc quoque luſtramus tectisq́; opibusq́; potentẽ
Emporioq́; ſtatus cui libera frena regendi,
Duxq́; ſolet cunctis mutari menſibus iſtic.
Grãde tamen Turco, quãuis haud ampla, tributũ
Pẽdit: & à Venetis metuit malè fida propinquis.
Nocte recedentes Melidam, Liſſamq́; Lauſtamq́; 13. Melida, Corzula, Liſſa, Leſana, &c.
Et loca plura maris, partim deſerta, tuemur.
Sueta tamen Corus nobis, hei bella malignus
Integrat, in noſtram viſus iuraſſe ruinam,
Nec ferri antrorſum paſſus, neq; tangere portũ:
Cùm tandem opſonij & bis cocti panis egentes
Reſpexit melior fortuna, deditq́; Rouino 25. Rouinũ.
Vrbe frui: qua mox lembum conduximus ipſi,
Adriacumq́; ſinum permenſis bina pateſcunt 26. Gemina Caſtella Venetiarum.
Caſtra procul Venetûm, nobis lætiſſima ſigna.

Ecce autẽ, cùm Phœbus aquas vix merſus obiſſet
Occiduas, animos terret mirabile viſum.
Nam ſubitò accenſus globus igneus æthere fulſit,
Tranſcurrẽsq́; viam flammis ſignauit, & anguis
Inſtar agens flexus penetrante rubore receſsit.
Hîc libet & conſpecta mihi non antè referre,
Nigrantes quando coierè per aëra nubes,
Vna trabis ſpecie deſcendit in æquor acutæ,
Nonnunquã plures, quibus eſt vis tãta trahẽdi,
Vt niſi diſploſi fragor illas diſsipet æris,
Surſum onera atque rates ambitas æquore tollãt,
Nigram hyemem ſecum tempeſtatemq́; ferentes.
Sub noctem appulſos caſtris nos ancora ſiſtit,
Venetiæ, 27. Iulij. *Vtq́; aurora diem detexit poſtera, læti*
Regalem Venetorum vrbem, regalia tecta
Inuehimur, portusq́; iuuat tetigiſſe petitos.

Laus Deo.

HENRICI

HENRICI PORSII I C.

CARMINVM LIB. I.

AD

NOBILEM ET GENEROSVM VIRVM DN. IOANNEM EBERhardum à Kronenbergk, Burgrauium, &c. & ampliſſimos ac prudentiſſimos Conſules, Prætorem, totumq; Ordinem Senatorium vrbis Imperialis Fridbergenſis, &c. Dominos ac Mecœnates colendiſſimos.

SEMOTVM patriæ iamdudum finibus, ingens
Hancce reuiſendi nuper agebat amor.
Oraq; fingentem iam coràm cernere veſtra,
Et dextram dextris more decente dare:
Inſperata tenet me functio deinde docendi
Hoc in gymnaſio: mox vocat aula ſimul.
Ipſe ſequor, fato, dubius, num ſorte vocatus:
Sic patria porrò cogor abeſſe mea.
Ne tamen hac abſim protſus, me pignore ſiſto
Ingenij, ſcriptis vosq; reuiſo meis.
Vos placidè veſtri capietis dona clientis,
Qui totum vobis ſe patriæq; dicat.

G. V. & A. D.
addictiſs.

Henricus Porſius Fridbergenſis, Philoſophiæ & I. V. D. Sac. Cæſ. Maieſt. à libellis in Camera aulica.

CARMINVM HENRICI PORSII IC. LIB. I.

RVDOLPHO II. ROM. IMP.&c. IN AVSTRIAM REDVCI gratulatur RESP. VIENNENSIS.

AC veluti vaſto cùm ſæuit in æquore cæca
Tempeſtas, nauimq́ fremit circum horrida, & altos
Ima ſede ciens ſubtorquet in aëra fluctus,
Nutātem iam iamq́ ratem merſura ſub vndas:
Tota metu ſtupet, ac dubia ſpe turba ſalutis
Fluctuat, horrendā dum mortē cuncta minātur,
Cunctaq́ præcipitem intētant momenta ruinā:
Ecce gubernator ſolitæ non immemor artis,
(Dij potiora) animos trepidos cōfirmat, & omnes
Intendens neruos remis inſurgere mandat,

Obli-

Obliquatq́; ſinus in ventum, ac gurgitis vndas
Horriſonas ſuperans, vi prorā ad littora torquet.
Tum plauſum ingeminant, iuuàt euaſiſſe tot iras
Aequoris, ac tandem optata conſiſtere terra.
Quid niſi nauigium ſors eſt humana, vagæq́;
Aequiparanda rati, quæ iam vento acta ſecūdo
Speratos intrat portus: iam quaſſa procellis
Ventorum ſentit rabiem, nec certa ſalutis
Fortunæq́; ſuæ nunc huc nunc fluctuat illuc:
Nonnunquā ſpē præter aquis emergit, & inſtans
Effugit exitium, ſeu Numine, ſiue magiſtri
Conſilio fidaq́; ex vndis arte ſuperſtes:
Tantum gnara valet ſimul ars & cura magiſtri.
At ſimilis toto fortuna vagatur in orbe,
Quæ variè exercet regesq́; & regna ducesq́;
Succutit imperia ac varia vertigine terret,
Et populos populis committit, & vrbibus vrbes,
Vt fera bella ferant, Martisq́; libidine flagrent.
Nempe nec immunes inſultibus ipſa reliquit
Nos, turbam tibi ſubiectam, ter maxime Cæſar,
Aut ſors Elyſiis voluit conſiſtere campis,
Alcinoíve hortis: ſed ſæpius inuida noſmet
Sorte fatigauit dura durisq́; periclis.
Hinc atque hinc belli rumor crebreſcit: ad aures
Perſtrepit armorū ſonitus, numerusq́; cadētum,
Nō quos Turcus atrox (pudet hei memorare) cru-
Dat letho: non iuſta vocat ſub prælia cauſſa: (ento
Sed Cadmæa cohors in mutua viſcera graſſans

Sternit, & agnato (dolor heu) ſe ſanguine paſcit,
Quod dudum clamāt tot regna, tot oppida, dira
Cæde madētia adhuc, belliſq; exhauſta nefandis.
Quas verò hanc non ille minas exercet in orā?
Quæ non ferra acuit noſtro minitantia collo
Implacatus, atrox Turcus, quo ſæuior alter
Non magè Chriſtiadum ſe optat ſatiare cruore?
Et contrà tamen imus, & omni enitimur auſu,
Ac vtcunque illis è fluctibus eluctamur.
At propriáne ope, conſilio, virtutibus armis?
Nimirum tua nauiculam, Deus optime, primò
Dextra fatiſcentem tutatur & eripit vndis.
Et vos Auſtriaci, quorū inclyta fama, Monarchæ,
Vos tutò rexiſtis eam, dum fata ſinebant,
Vobis tranquillum ducibus ſulcauimus æquor.
Quid loquor? heu, quātum rectore orbata carina,
Inuida cùm nuper te, Maxmiliane, vacantem
Imperij curis ac paci, Parca remouit,
Ingemuit? quantos luctus ea fata trahebant?
Ex illo taciti ventura pericula, & orbis
Fata videbamur iam tum præſcire futura:
Cū, Rex ſumme graues hominū miſerate labores,
Penſaſti iacturam, atque orbas Cæſare terras
REGE *refeciſti, reliquos qui ſtemmate reges,*
Spem grauibus vincit meritis, virtutibus annos.
Ergo magne pater patriæ, auguſtiſsime Cæſar,
Ergo tibi reduci applaudit tua turba, RVDOL-
Te ſupplex Regē acclamat, te Cæſare tandē (PHE.

Gaudet

Gaudet ouans, ac te digno veneratur honore.
Et quiſnam inuideat tãtos tibi, Cæſar, honores?
Aut quis non ſceptris gratetur multa potito?
Qui patria vt iam ſceptra tenes, ſic viua regẽdo
Exprimis exempla, & ſeruas veſtigia auorum,
Quorum & virtuti tua virtus æmula certat.
In te igitur cuncti vultus, in te ora volutant,
Ancora tu noſtræ puppis, tu maximus ille
Ille gubernator, ſub quo vada tuta tenemus.
Cuius & aduentus tantò exoptatior oræ
Contingit noſtræ, quantò nos erigis omnes
Spe pacis maiore, venit quæ florida tecum,
Et quantò Turcæ magis accidit ille timendus,
Ad quẽ nunc reprimit contracto gutture fauces.
Ac velut implumes pulli, quos pabula quærens
Deſeruit mater, ſolitoq́; diutius hæſit,
In nidis querulo matrem ſtridore requirunt:
Sic dudum te clara vocat, te poſcit, & vſque
Vſque ſuũ expectat Regem, atq; in Rege moratur
Auſtria, quem tandem plauſu fremituq́; ſecũdo,
Regali pompa reducem complectitur, ore
Pro te ſacra ferens ac toto pectore vota.
Macte tua virtute, & macte inſignibus orſis,
Auſpiciis gere ſceptra bonis, populosq́; guberna
Arte illa, quæ vel teneris tibi parta ſub annis,
Tu ſacram Aſtræam cælo reuocato ſub orbem,
Præmia pone bonis, iniuſtos corrige pœnis:
Tu reges alios in mutua fœdera coge,

Tranquillaq́ tuos populos in pace tuere.
Sic, Cæſar, lato ſparges tua nomina mundo,
Teq́ canent ſeri viuaci laude nepotes.

RVDOLPHO II. AVGVSTO ROMANORVM IMPERATORI, &c. Hungariæ, Boemiæ, &c. Regi: Archiduci Auſtriæ, &c. à Comitiis Auguſtanis Viennam redeunti gratulatur ACADEMIA VIENNENSIS.

NIMIRVM *qua te Deus in ſtatione locauit,*
In tanto imperio, tanto moderamine rerum,
Hanc, Cæſar, prudenter obis, hanc ritè tueris.
Cura ſui populi decet ac vigilantia regem,
Legibus vt vigeant, iuſto ſtent ordine cuncta,
Tollantur preſſi damnoſa grauamina ciuis,
Almaq́ pacatis animis concordia regnet:
Nec tantùm præſentis ei ſit cura ſalutis,
Sed quæ fortè queant ventura incõmoda regnum
Turbare, auertat, matura prouidus arte,
Sicq́ ſalutari populos ratione gubernet.
In te quis curam, Cæſar, deſideret vllam,
Quis ſtudium ardoremq́ tuos hac mente regẽdi,
Auſpi-

Auſpiciis vt regna tuis floreſcere poſſint?
Publica te rerum nunc huc nunc auocat illuc
Cura, nec in ſtabili permittit ſede morari.
Haud ita te pridem Boiorum ex vrbe vocabant
Auſtriados coràm tractanda negocia terræ.
Inde coegiſti conuentum in Pannone regno,
Sedulus in commune bonum pacemq́; laborans.
Non tamen imperij non immemor ipſe, per orbē
Teutonicum proceresq́; vocas, cogisq́; Senatum,
Ex tot Principibus totoq́; ex orbe Senatum,
Quo cum ſana ineas conſulta, modiq́; leuandæ
Heu nimis afflictæ patriæ ſtatuantur, & orbis
Pacandi, ac tandem ſeclo meliore fruendi. (dant,
Dij cœptis, RVDOLPHE *tuis, Dij robora ſub-*
Optima vt euentus ſimul optimus illa ſequatur
Conſilia, vt poſitis animis hoſtilibus Anglus,
Belga, Luſitanus, Germanus, Gallus, Iberus,
Chriſtiadumq́; adeò totus ſub fœdera creſcat
Orbis, & vnanimes operas, cōſtantiaq́; vltro
In Turcas, Chriſto inuiſum genus, arma capeſſat,
Hosq́; domet victrice manu, vigeatq́; triumphis.
At quantam depoſcit opem, quàmq́; ipſa gemiſcit
Relligio, fœdata genas laceratáq; pallam,
Protendens duplices cum fletu ad ſidera palmas?
Aut vos ſubſidiis iunctis releuate iacentem
Chriſtiadū capita, ac facinus prohibete nefandū,
Ah ſcelus, ah facinus, quo ſic diſcerpta laborat:
Aut tu, quem penes eſt ſuprema potētia rerum,

Aſſere ſumme Deus natam, Deus aſſere honorẽ
Ipſe tuum, quò ſyncerus ſine crimine cultus,
Et ſolido pietatis opus ſtet robore nixum:
Quæ nobis erit ipſa ſalus, tibi gloria honorq́;.
Ergo ita confectis rebus, procerumq́; Senatu
Dimiſſo, Auſtriacas rurſum contendis ad oras,
Quà te præſentem, Cæſar, quoq; multa requirũt,
Pannonicæq́; vocant iterum res, curaq́; regni
Publica, ne quicquam detur tibi fortè quietis
Ad tantum nato imperium, tantosq́; labores.
Macte tua virtute, tuis regalibus actis,
Perge tuos ſolito populos ardore tueri,
Quodq́; ſalubre tuis, moliri: quodq́; nociuum,
Vertere: pacis opus ſtabilire almamq́; quietem:
Aut Martem (quãdo illud erit cõſultius) acrem
Tentare, & Geticum demittere cædibus hoſtem,
Felix ipſe toga, felix quoque Cæſar in armis,
Felix imperium ſeros geſture per annos.
Hæc tibi pro reditu Muſæ dant vota ſecundo
Iſtriades: Muſis ſubſcribit cætera turba.

SERENISSIMÆ MARIÆ IMPERATRICI PATAVIVM ADuentanti gratulatur NATIO GERMANICA.

EDITA *Cæſaribus proauis, patre Cæſare, Diua,*
Cæſaris & coniux, & mater Cæſaris ipſa:

Diua

Diua veni, Patauos nec dedignare penates.
Cernis, vt armati, ciuesq́; & vulgus, & vrbis
Clara Lycea fremant, ac crebro conflua cœtu
Te reginarum reginam vno ore ſalutent?
Medoacusq́; adeò lymphas compeſcere ripis
Vix potis eſt, ac mota vadis obmurmurat vnda,
Omine non fallace Deam ſentire profeſſa,
Diuûm è gente Deam: lato cui ſummus in orbe
Fulget apex generis, nulli ſplendore ſecundus:
Cui virtus curæ, deuotaq́; pectora ſacris,
Et mores ſine labe nitent, maioraq́; ſexu
Fœmineo nomen pariunt memorabile dona.
Tuq́; genus Diuûm, matris comes, inclyte Prin-
Maxmiliane, adſis vrbi gratiſſimus hoſpes. (ceps
Ecce triumphales variato ornamine portas,
Ecce cohortales poſitos ſtatione decenti,
Et bombardarum tonitru, ſonitumq́; tubarum,
Quæq́; ſub aduentum paſſim dant edita veſtrum
Lætitiæ documenta viri plauſusq́; ſecundos:
Cũcta quidẽ meritos minùs exæquãtia honores,
Sed commune tamen ſtudium teſtantia ſigna,
Quo vos, quo caram ſobolem, fratresq́; domumq́;
Auſtriacam cuncti per proſpera vota ſequuntur.
Nos quoque Germana nomen de gente profeſſi,
Auguſtam merito noſtram veneramur honore,
Cæteraq́; vt deſint, non deſunt optima vota:
Salue Auguſta parens, ſalue generoſa propago,
Auſpiciis intrate bonis, melioribus vltrà,

Quà vos fert animus vel terris ire vel vndis,
Conficiatis iter: vos læto florida vultu
Fortuna aſpiciat, ſperataq́; cuncta ſequantur:
Vobis ſe venti ſubmittant, ſeruiat aër,
Se ſternat pelagus celeri penetrabile remo:
Vt nacti metamq́; viæ portusq́; petitos
Degatis Pyliæ felicia tempora vitæ.

AD MAGNIFICVM FERDINANDVM HOFMAN, L. B. SAC. Cæſ. Maieſt. Coſs. & Cameræ aulicæ præfectum, &c.

EST ſua laus Muſis, ſua laus eſt debita Marti,
Arte paratur honos, ſed honos quoque Marte paratur,
Verus vterque, carens fuco, famaq́; perennis:
Nec ſedes laudi, via nec patet aptior vlla.
Dic, vter iſtorum præſtet, num Marte vel arte
Partus honos? cùm ſit ſeges hæc digniſſima laudũ?
Eſt durus Marti, & Muſis ad præmia longus
Eſt labor: ille ciet fera bella, his ocia curæ:
Deſtruit ille, ſed hæ ſeruant, faciuntq́; quietè
Florere in placida populos, regna, oppida, leges.
Hæc (inquis) quorſum? vel quæ ſententia dictis?
Nempe ea multorum iam cepit opinio mentes,
Quos genus ante alios effert, & nobile ſtemma,

Alter-

Alterutro vt ſe velle modo, tum ſemet honore,
Tum genus amplificare putent, famaq́; ſacrare,
Si vel Martis opus crepitantiaq́; arma, vel aulam
Sectentur: Scopus hic ipſis & ſemita laudum eſt.
Pulcra quidē, & meritò talis laudāda voluntas,
Dignaq́; nobilibus. Sed quorum prima ſubire
Deberet cura, & ratio prior eſſet habenda,
(Vt quorum latè cunctas extenditur vſus
In partes vitæ) ſtudia his ſpernuntur & artes:
Idq́; malo exemplo & peruerſo more Cyclopum.
Quātū etenim & bello momēti afferre putemus
Doctrinam? hiſtoriæ cui iuncta ſcientia & vſus,
Euentus doceat, Martis conferre vicesq́;,
Resq́; ducum geſtas, & pulcra reuoluere facta:
Vnde ſimul belli fecere artisq́; potentem
Pallada, Mauortisq́; pari ratione ſororem,
Hæc quòd conſiliis, ſed frater militet armis.
Iámne aliquis ſatis inſtructus pdibit ad aulam,
Aut quônā ille geret mihi publica munia pacto,
Qui neque doctrina, neque rerum polleat vſu?
Sed vulgo, qui fortè iocis ſalibusq́; placere,
Aut ſaltare poteſt, vel equos agitare decenter,
Vel luxum oſtentare, ſubireq́; prælia Bacchi,
Atque adeò Muſas ridere & carpere probris,
Aulicus is demū eſt, nec rarò adhibetur ad ampla
Conſilia, vt cauſas noſcat populúmve gubernet.
Hîc ego, vtrùm ſanis peragantur cuncta requiro
Conſiliis, aut vnde fluant ea, priua magiſtra

Doctrina, eq́; rudi ſolùm deſumpta cerebro.
At tu diuerſum ſenſiſti, & opinio ſedit
Ferdinande tibi melior: nam ſtemmate quamuis
Polleres tanto, titulisq́; illuſtribus ires,
Attamen haud vllo ſpreuiſti tempore Muſas:
Sed veram ex veræ virtutis & artis amore
Quæſiſti laudem, dudumq́; hoc nomine clares.
Hinc te iam talem tantumq́; videmus, & aulæ
Miramur columen, lumenq́; inſigne Baronum.
Perge ſuper titulos proprios ita ſcandere, famam
Perge tuam decorare, æuoq́; ſacrare perenni,
Dum Muſas ornas, harumq́; tueris alumnos.

GEORGII A SCHOLLAY, &c. IOANNIS SCHWERZEL IN WILlingshauſen, &c. Et DAVIDIS LVCANI IC. Illuſtriſſimorum Haſſiæ Lantgrauiorum ad Sac. Cæſ. Maieſt.

LEGATORVM

Ablegatio cum Pegaſo, Freno, & Scuto Palladis.

REPERE *neſcit humi Virtus, oditq́; tenebras,*
Et palmarũ inſtar patulas ſe tollit in auras.
Dicite, cur virtus, quos aſpernatur, honores
Suſtinet atq; illos habet omni ex parte ſequaces?
Vt de ſole dies, lumen de luce refulget,

Inclyta

Inclyta ſic virtus ex ſe parit inclyta facta,
Quorum ita mortales trahit admiratio mentes,
Vt poſſeſſorem reliquis præcellere ducant.
Hinc ipſum veſtigat honos & gloria digna.
Atque eá natura eſt virtutis, vt ima ſub altum
Tollat, luce carens perfundat lumine, ſordes
Obſcuro generi detergat, nomina ſpargat,
Tum ſeſe totumq́ genus ſub honore reponat,
Quòd ſi iuncta ſimul fuerit natalibus amplis,
Et genus & ſeſe exuperans, illuſtrior extat.
Credite, Nobilitas vera haud cenſetur auorum
Prolixa ſerie, titulis inſignibus, auro:
Scilicet à ſola pendet virtute magiſtra,
Ac vt quiſque bonus ſit, Nobilis ille putatur.
Tam bene conueniunt & in vna ſede morantur
Nobilitas ortum referens, & propria virtus.
At nónne in vobis pulcro certamine certant
Hæc ambo? Nec enim virtus natalibus ipſis
Inferior: virtute genus ſuccumbere neſcit.
Quid verò? Vos, vos inquam, prudentia, & vſus
Linguarum, doctrina, fides, induſtria, candor
Extulit: & gnauis hæc tanta domiq́ foriſq́
Princeps Haſsiacus commendat munia, quæ iam
Eximia vobis ſunt dexteritate peracta.
Aſt ego, quæ vobis dicam præconia digna?
Quænam dona feram, gratam teſtantia mentē?
Dona mihi non ſunt: quid ſi chartacea reddam
Dona? modo vobis illa haud indigna probentur.

En SCHOLLAE, *tibi qui dudum es ſtemmate clarus,* *(trado:*
Nec propria virtute minor, FRENA AVREA
(Si non antè datum videar tibi tradere donum)
Hæc olim tenuit, dono Iouis, ipſa Minerua,
Et furiis acto Pelidæ iniecit Achilli.
Hæc motus frenare docent ſine lege ruentes,
Affectusq́; vagos cohibent ratione magiſtra:
Quod ratio gerit, euentu cadet omne ſecundo.
At quo te venerer dono, clariſſime SWERZEL,
Qui pariter donis fortunæ & mentis abundas,
Cuius & ætate eſt prudentia cognita maior.
Aſsignandus erit, me iudice, PEGASVS *ille,*
Bellerophonte acri quondam ſeſſore celebris.
Hic Helicona tibi ſumma cum laude recluſit,
Hoc duce luſtraſti, credo, tot regna, tot vrbes:
Vnde tibi partum decus immortale tueris.
Macte tua virtute, tuis inſignibus auſis,
Scande ſuper titulos, famaq́; ad ſidera creſce,
Nūc LVCANE *tibi* SCVTVM *cōferre Mineruæ,*
Quod tutū ex omni præſtet diſcrimine, viſū eſt,
Namq; tibi ſua ſacra Themis, ſua munera Pallas
Contulit, & claras fecit florere per artes:
Nec dubito; quin te donauerit ægide iuxtà,
Qua Muſis vindex & fautor commodus adſis.
Ite, Deus comitem ſe iungat euntibus vltro,
Et vos incolumes optatis ſiſtat in aruis.
Interea hæc faciles chartacea ſumite dona.

AD

AD MAGNIFICVM IOACHIMVM A SINTZENDORF, &C. SAC. Cæſ. Maieſt. Conſiliarium Imperialem aulicum, & Oratorem in Curia Ottomannica.

ILLA *tamen miſeris reſtant ſolatia Muſis,*
Illaq; deſertas ſpes erigit, eſſe per orbem,
Eſſe (ſed heu nimiùm paucos) qui nutibus ipſas
Reſpiciant placidis, quiq; harum fortè benigni
Sint Mecœnates: adeò cùm cætera deſint.
Nam quis eas tandem, tali iam ſorte grauatas,
Quando alioquin honos artes nutrire putatur,
Sectari velit? aut quos Phœbus habebit alumnos,
Si deſpectus eas agat ac ludibria vulgi,
Siq; (quod haud rarũ) ꝓpriũ eſt eguiſſe Camœnis?
Hei nihil hîc lucri aut laudis: ꝓcul eſte Camœnæ:
Scilicet eſt alius, quo nummus honorq; parantur,
Et leuior modus: haud ego Phœbi caſtra ſequẽdo,
Difficili ſtudio, ſumptu, longóque labore,
Paupertatis emam aut onus, aut deſpectus obibo.
Nõ mirum, hæc animis multorũ indigna ſubire.
Fertur enim vulgò doctorum ignobile nomen,
Quosq; fauere decet Muſis, doctosq; fouere,
Hi rident, ſpernunt, aut pœna odioq; ſequuntur:
Sic aulæ ſordent aulamq; ſequentibus artes.
Illa igitur miſeris reſtant ſolatia Muſis,

Quamuis ſit numerus Cyclopum grandis vbiq;,
Eſſe tamen quædam diuino ex munere aſyla,
Atque viros, quorum melior ſententia menti,
Qui laudi ducunt ipſas colere atque iuuare,
Perpetuumq; decus tali ſibi condere facto.
In quorum prima cùm te iam claſſe reponat
Fama memor, Ioachime: hãc tu ne ſpernito laudẽ,
Quippe tuas inter quæ non eſt vltima laudes.
Hinc ego iam lætor: poſt tædia longa viarum,
Inter tot Satyros, quibus eſt deſpecta Minerua,
Nunc tandem me poſſe viro innoteſcere tali,
Qui non ipſe modò ſummum natalibus amplis
Doctrinæ iunxit decus, atque hoc nomine claret:
Sed Muſas etiam ſummo doctosq; fauore
Proſequitur, fouet, ornat, alitq; & prouehit vltro.
Fas, Ioachime, mihi captare ac prendere eundẽ,
Henricumq; tibi ne dedignare clientem
Suſcipere, atque eius conamina prouehe dexter:
Sis autor, ponto vt poſsit tentare regreſſum,
Dum pelago deſæuit, hyems, rurſusq; Fauonij
Spirare incipient: à te nam pendet idipſum.
Sic tibi fortunam concedant fata benignam,
Perpetuóque tuum vigeat memorabile nomen.

Conſtantinopoli.

EPISTOLA ITER AVTORIS MARITIMVM BREVITER COMplectens, ad IOACHIMVM à Sintzendorf, &c.

NVLLA *quòd à nobis iamdudũ litera detur,*
Nec veniat noſtræ nuncia fama viæ:
Res eſt mira tibi, res ingratiſsima, nobis
Quæ noſtrum tanto tempore tardat iter.
Nam toties ventis, toties votisq́; repulſi,
Erramus dubio diſiicimurq́; mari.
Nec dum meta viæ, nec dum data copia veſtri
Certa ſalutandi: ventus vtranque negat.
Prima quidẽ auſpiciis ſuſceptà profectio dextris,
Tempora ſpondebat non diuturna viæ.
Namque cauã tumidis emenſa Propontida velis,
Et freta, queis Helle nomina merſa dedit:
Troia tuas legit terras, Tenedumq́; propinquam,
Et Mitylenæi littora læua ſoli:
Inde Chio expoſitos, mox nota puppe receptos
Phœbææ ad Deli littora fortè tulit:
Deli, marmoreis quæ nunc ſpectanda ruinis,
Non homini præbet tecta, nec antra feris.
Hinc humilẽ Myconen, Gyaronq́; ſubiuimus altã,
Hinc cernenda Paros, Tenos & Andros erat:
Cæa quoq; & Naxos Baccho ſacra, quæq́; vocatæ
Cyclades Aegæis conſpiciuntur aquis.
At ter quinta dies Cretæ nos appulit oris,
Arcis & hoſpitium celſa Rethymna dedit.

Proxima ſoluentes ſuſcepit Candia firmis
Murorum fabricis aggeribusq́ue potens.
Nec non fallacis Labirynthi intrauimus antra,
Artis Dædaleæ quod vetus extat opus.
Iámque ſuo Phœbe gyrum compleuerat orbe,
Licturi Cretam cùm noua vela damus:
Vela reluctanti nimis, ô nimis, obuia vento,
Quæ ſola eſt noſtræ cauſſa dolenda moræ.
Teſtis erit Crete, teſtes Pelopëides vndæ,
Quæ videre vagis nos fluitare viis:
Crebraq́ue in aſpectu Moreæ pars, crebra Corone,
Adq́ue ſinum tendens ampla Methona maris.
Namque velut pugnans aduerſo Corus ab axe,
Bis denos nobis obſtitit vſque dies:
Cùm tandem tepidus ſeſe extulit Eurus ab ortu,
Intempeſta ſonans, proſequitúrque ratem:
Et fruſtra optatæ ſecludens vrbe Zacynthi,
Portubus appellit Cephalonia tuis.
Hinc quoque digreſſos, cùm iam Corcyra pateret,
Quò ſpes extiterat poſſe meare breui:
Ecce repentino ſurgens cum turbine Corus
Ad littus reiicit Cephalonia tuum.
Rurſus vela damus, ſed proſperiore profecti
Flamine, Corcyræ ſiſtimur vrbe noua.
Poſtea Phæacum lictis quoque ſedibus aura
Læta ſequebatur, poſtmodo caſſa tamen.
Namque iterum pro more ruens vetus hoſpes & (hoſtis,
Lucra viæ biduo capta caduca facit:
Et vi-

Et vires quandoq́ nouans, quandoque remittẽs,
Incuſsit duplicem duplice ab hoſte metum.
Ipſe repellendo pugnabat, & ipſe ſilendo
Hoſtium ad aſſultum plus nociturus erat:
Quando ferebatur piratica turba vagando,
Adriaco prædas cogere ſueta mari:
His ſimul acceſsit, ceu ſæpe, domeſticus hoſtis,
(Hunc quoque mittebas Core maligne) fames.
Sic in conſpectu errantes Corcyra videbat,
Epirosq́ ingens, Apulaq́ ora ſuo.
Iamq́ reuerſuri Corcyram vela dabamus,
Vela tamen ventus deſtituebat iners:
Succedensq́ nouus meliori tramite vectos
Detulit ad muros clara Raguſa tuos.
Ex illo lux eſt hodie bis ſena, Rouino
In portu, qua nos ancora iacta locat.
Cras veteri, ſi fata volent bene, naue relicta,
Lintre leui reliquum conficiemus iter.

Ex naue Balbiana Conſtantina, ad Rouinum oppidum, 25. Iul. 81.

AD SIGISMVNDVM VIEHEVSERVM, SACRI IMPERII Procancellarium, &c.

ÆGIS PALLADIA.

NATA *Iouis cerebro (fidei ſi cõſona fama eſt)*
Arte armisq́ potẽs eſt quõdã credita Pallas,

Inq́; vno meruit diuerſos numine cultus,
Diuerſis præfecta Deæ ſub imagine rebus.
Hanc belli Diuam ferrato tegmine ſæuus
Miles, honore ſacro venerans in vota vocabat.
Hanc etiam miles, non Marte ſed arte laborans,
In caſtris, ô Phœbe, tuis (ſtylus huius vt haſta,
Ars ſcutum, lingua eſt gladius, ſapientia caſſis)
Ceu Sophiæ matrem doctrinarumq́; magiſtram
Demeruit votis vltro, ſacriſq́; litatis
Aetas Cecropidum Diuæ ſub honore ferebat.
Quid Muſis cũ Marte, quid armis arte videtur
Commune, vt coeant ſub eodem fœdera bina,
Quæ nec fœdus amãt, ſtudiiſq́; aliena trahũtur?
Mars bellum, Muſæ pacem: Mars caſtra ſonumq́;
Aeris amat, Muſæ tranquilla per ocia viuunt,
Nec bene cum Muſis Mauorti cõuenit vnquam,
Sed ceu fumus apes, teneras fugat ille Camœnas.
Hei mihi, quòd rumore ſuo tot territat vrbes,
Tot populos vrbeſq́; ciens ad claſſica cogit,
Ac miſeris turbans Muſis impunè quietem
Inuidet his certam ſedem, prohibetq́; frequentes
Cœtus, ac vegetos dudum præcludit honores.
Nec vis inuidiæ Muſis præpoſtera parcit.
Ipſa etiam Pallas frontem mutata ſerenam
(Omen ab euentu pendet) nunc Aegida, tutam
Quæ quondam ſedem dedit, auertiſſe videtur:
Sic terret nos Gorgo, hoſtes quæ terruit olim.
At Dea (ni talis me coniectura fefellit,
Diuer-

Diuerſis ideo ſtudiis hæc præfuit vna,
Quòd diuiſa aliàs in Pallade iuncta putantur,
Ac vnum fontem referunt, ortumq́ requirunt.
Eſt Sophiæ mater, Iouis edita vertice: namque
VERA *fluit Iouis è dio ſapientia fonte,*
Quæq́ Deum ſpernit, non eſt ſapientia felix.
Sed belli præſes, quòd primùm armata ſub auras
Prodiit, ac clypeum fertur geſtaſſe ſiniſtra.
Hinc Bellona Deæ nomen, germanaq́ gaudet
Marte, ſimulq́ operam iungit pro vindice cauſſa.
Nã quia Iuſtitiã Mars vindicat, æqua geruntur
Pro patriis arisq́, focisq́, & numine bella:
Conſilia huc ergo fratri Dea ſufficit apta,
Bellorum euentus varios, ſtrategemata, mores,
Facta ducum reuocans, aditusq́, ſitusq́, locorum,
Huic quis conſilio finis, quis ceſſerit illi.
Credite, conſiliis cedunt vel grandia: quamuis
Cœpta penes nos ſint, euentum fata gubernent,
Noſtra tamen iuuat euentum prudentia ſæpe.
Sic iam conſiliis Pallas, Mars militat armis.
Hinc felix demum ſapientia cœlitus hauſta,
Quæ norma mentis diuinæ accomodat acta:
Et quiſquis ſtudiis illam venatur honeſtis,
Hic ſub Palladia placidam trahet ÆGIDE *vitã,*
Inq́ ſalutari tandem requieſcet aſylo.
Hinc felix demũ bellum cadet, æqua quod vrget
Cauſſa, quod arte gerit prũdenti docta Minerua.
Cur etenim Galeata Dea eſt? firmiſſima nempe

Caſsis ad inſultus dubiæ eſt ſapientia ſortis,
Qua ſine nil rectéve geri, finémve ſecundum
Sortiri certum eſt: duce qua bene pleraq; cedunt.
Cur haſtata dea eſt? odit Cyclopas & artem
Spernentes, iſtis quos fortiter impetit armis.
Cur clypeũ anguicomo Pallas gerit ore minacẽ?
Scilicet ipſa ſuos almi defendit in vmbra
Cultores clypei, præſtatq; ſub Aegide tutos.
At qui bella mouent arti, qui reproba tractant
Conſilia: hos colubris implexos Gorgone terret,
Peſſundat fraudes horum, ac molimina frangit.
Tales, heu multos, ætas fert noſtra Cyclopes,
Qui tibi perfricta dudum, ô facunda Minerua,
Fronte reluctantur, nec te dignantur honore,
Ipſa ferè vt dubia iam verſes Aegida dextra.
Sed quorſum hæc, vir magne? qđ aures carmine
Pallas vbi præſit, nũ ſit dea, quǽve poteſtas, (laſſo?
Quæ ſedes, quæ forma, decus, qs cultus & arma,
Dicere vix poſſum vera: at fas dicere vera.
Tu dotes, quæcunque decus meruere, frequentes
Vnus habes: tu mentis opes ac ſumma tueris
Ornamenta viri: in te conſpiraſſe videntur
Virtutes raræ doctrinæq; ardua dona.
Si qua fuit Pallas, nunc in te viuit, & in te
Vera repræſentat variarum munera dotum.
Subdidit ingenio neruos (fas pandere pauca
E multis) animum rerumq; artisq; feracem
Edocuit, linguamq; vnam tot reddere linguas,

Neſtoris

Neſtoris eloquium dedit ora ſonare ſtupendum,
Atque ſonare ſimul miſtos grauitate lepores,
Mentem conſilio pollere vſuq; magiſtro:
Sic quæ ſparſa merēt laudem, in te iunctā relucēt.
Et dubitamus adhuc, cùm munera Pallas abūde
In te contulerit ſua, nec non aurea Frena,
Quin tibi tot donis cumulatis, Ægida iuxtà
Tradiderit, Muſis qua ſubuenias deſertis,
Ac ſpretas artes antiquo in honore reponas?
Quod præſtare tibi promptū, quē Cæſaris ambit
Gratia, cuius adeſt locus ac reuerentia dicto,
Vt qui Cæſarei es decus & pars digna Senatus:
Vnde ſibi te Muſa, ſibi te vendicat Aula.
Perge agè, perge ſacras tutari hac Aegide Muſas,
Prouehe cultores harum, & decus aſſere priſcum:
Sic te Palladij vel numinis inſtar habebunt,
Sic tua facta canent, laudesq; ſub æthera tollent,
Dum Muſis cōſtabit honos, dum fama Mineruæ.

AD SPONSOS.

HYMENÆI SORS TECTA.

HYMENÆVS loquitur.

SACRA *meo quondam Dionyſia dicta parēti,*
Solenni, vt notam, peragebat more vetuſtas,
Quando frequentabant Edonides Orgia Bacchi,
Quò coiere viri ac vulgus, matresq; nurusq;,
Ac paßim lætis fremuerunt vocibus vrbes.

Iſti haud abſimilis mos præſens fluxit in æuum,
Quo mas fœmineum ſexum, mulierq́ virilem
Mentita, ignotos habitus ſibi fingit & ora,
Obiicit & talos, obſcuraq́ munera Sortis
Talorum ambiguo iactu exploranda reponit:
Tum ficto ſub Marte alios ſimulacra ciere
Conflictus iuuat, ac curſu contendere equorum.
Hinc quia lætitiæ ſunt hæc genioq́ dicata
Tempora, amantq́ nouæ ſolennia gaudia tædæ:
Magna mihi Dionyſiaci iam portio feſti
Cedit, & ipſe ſacris natus ſuccedo paternis,
Cumq́ parente meo genialia diuido feſta.
Nam licèt exiſtant mea ſacra perennia, meq́
Auſpice credantur connubia cuncta parari:
Attamen hæc caſtis delegi tempora tædis,
Vt nec honos iſtis, nec publica gaudia deſint.
Iamq́ nouis adſum thalamis, nec me offero vo-
Fronte ſub afficta, Sponſi, dubiaq́ figura: (bis
(Quamuis ille mihi pullum communis amictum
Induxit luctus, noſtriſq́ ſilentia feſtis.)
Et quia Sors varios in vita perficit actus,
Ipſa tori quandoque parens, quandoque nouerca:
En Sortem vobis tectam, duo Corcula, in ipſos
Proiicio thalamos: Vos ô duo Corcula, Sortem,
Hanc Tectam accipite, & luſus miſcete iugales.
Lege ſed hac Sortē tribuo, duo Corcula, ut extet
Symbolon hoc Fidei vobis, illudq́ Pudoris:
Ergo Sponſe Fidem Sponſæ depone iugalem,

Ergo

Ergo Sponſa ſacrum Sponſo depone Pudorem,
Atque ita fortunam vitæ tentate iugalis,
Concordesq́ animos & Corcula iungite bina:
Sic ſic veſtra pari colludent Corcula luſu,
Et quæcunque cadet, felix cadet alea vobis.

EPITHALAMIVM.

DVM *feſtiua ſilent illato gaudia luctu, (ciues,*
Cunctaq́ mœrorem referunt, tẽpla, oppida,
(Proh orbis capite orbati patriæq́ parente)
Iſtius licèt haud expers Hymenæus, honeſta
Sacra tamen peragit, vivosq́ in pectora torquet
Ac ſubdit ſtimulos, tenerumq́ exuſcitat ignem,
Vnde duo nexu coaleſcunt pectora firmo,
Mutuaq́ vnanimis ſpondent ſibi fœdera vitæ.
Scilicet hæc extant Hymenæa gaudia, luctum
Diluere hæc aliquà lamentaq́ publica poſſunt.
Tu quoque Sponſe iſtum ſentis prodisq́ calorem,
Et, ſeu fata mouent animum, ſeu prouida vitæ
Spes melioris agit, ſociam vitæq́ toriq́,
Communisq́ ſimul fortunæ iungere gaudes.
Ergo quod ingrederis vitæ genus, optime Sponſe,
Ingredere auſpicijs lætis atque omine dextro.
Annuat ille tibi propitius, & annuat ANNÆ,
A cuius ſolo dependent omnia nutu
Vt quos connubij pia lex hoc auſpice iungit,
Hoc authore etiam dulcis concordia iungat,

Quæ quicquid durum ſors ingerit aſpera, vincet.
Ne qua tamē veſtram lædant incōmoda vitam,
Hic vitæ cuſtos tutis vos protegat alis,
Prole torum, vbertate domum beet, acta ſecūdet.
Et cū Spōſe tibi nouus ANNAM *cōferat annus,*
Arbiter annorum vos multos ſeruet in annos.

AD BERNHARDINVM LVDOVICVM A TOVVAR, ET LADISLAUM HELDIUM, LL. BB. Italiam adituros,

MERCVRIVS LITERATVS.

ERGO *agite, ô iuuenes, & greſſu ponè ſequacē*
Maturate: DEO *nobis iter auſpice cedet.*
O iuuenes, quos antè genus commendat auitum,
Natalesq́ ampli: ſed adhuc excelſior illa
Vis animi, motusq́ ille ad maiora cohortans,
Tandem æuo ſtatuet dignos ac vindice fama.
Magna quidem laus eſt niti natalibus amplis,
Et ſtirpis ſeriem retro cenſere vetuſtam:
Non tamē illa minor, propriis quæ cōdita factis,
Ac ortum ex ſeſe ducens, virtute paratur.
Huic vos egregiis, Iuuenes, inſiſtitis auſis,
Nec ſolis titulis, generiſve hæretis honore,
Dum doctas raro exemplo, coniungere Muſas,
Notitiamq́, iuuat linguarū acquirere promptā,
Idq́ labore graui, ſed multo fœnore laudum.

Nec

Nec ſolùm hoc: Geſtit miro mens impete veſtra
Viſere diuerſos populos, vrbesq́ue, plagasq́ue,
Et varios mores, varias cognoſcere linguas.
Scilicet haud vna capitur ſapientia ſede:
Qui ſapit, hanc varias inueſtigare per oras,
Per populos, per & aduerſos caſusq́ue vicesq́ue
Diſcat, & hinc dubium mūdi perpēdere curſum.
Hoc demum virtutis opus: Neq́ue numen abeſſe
His ego crediderim, quos talis ſuſcitat ardor.
Iamq́ue Dei nutu comitem me ſiſto viarum,
Ipſe volens veſtris nequaquam obſiſtere cœptis,
Quæ cùm grata ſibi, ac aliis, Deus approbet: vltro
Prouehet, ac tuto ſtatuet vos denique portu.
Macti animis, Iuuenes, macti & felicibus orſis,
Ite viam laudi ſtratam, veſtræq́ue patentem
Virtuti, & pulcris olim ſpem vincite factis:
Ite, redite decus generi, admiratio cunctis.
Dum loquor, en Zephyri noſtris ſeſe ingerit alis
Aura, viam ſuadens, & firmans omine votum.

AD IOANNEM SAMBVCVM, V. C L.

AVT tu preſſa ſitu veterum monimēta redu-
Aut opera ceſſāte tua, neglecta iacebūt. (ces,
Dic Sambuce: hominū quæ tanta incuria mentes
Obſidet, inq́ue iſtam prohibet deſcendere arenam?
Vſque adeóne omnes priuati cura fatigat
Lucri, nec quiſquam communia cōmoda ſpectat?

Dum tu grande ſubis opus, immenſosq́ labores
Exhauris ſolus, veterumq́ volumina ſarta
Tecta referre ſtudes, prauisq́ extergere mendis.
O labor, ô ſtudium ſeris memorabile ſeclis,
Nam quid agis Sambuce? Vetuſta ætate celebres,
Quos vel Græca fuit, vel gens mirata Latina,
Nónne reuiuiſcunt lucem te vindice nacti?
Nónne loqui propria (quos dudum preßit iniqua
Barbaries) lingua incipiunt redeuntq́ politi?
Hinc opera, Sambuce, tua ſtudioq́ potimur,
Ipſi operam fugimus talem fugimusq́ laborem.
Non ſecus ac largam qui meſſem exoptat, & ipſe
Nil ſerit, aut agri eſt pertæſus fortè colendi:
Sic cunctis facilè optatur ſapientia, at ipſam
Qui vigili quærant ſtudio & iuſto ordine, pauci.
Aſt vbi, quo pacto, quo fonte vel ordine, quæras?
Nimirum veterum confer, lege, conſule, libros:
Hos fontes, hos tu cupidè ſectare magiſtros.
Nam ſi iure coli meruit veneranda vetuſtas,
Si verè ſapiens habita eſt, cur quæſo ſub illis
Non latitare libris ſapientia vera putetur?
Sed fontes pauci indagant, pauciq́ liquorem
Hũc Sophiæ ſitiunt; quãdo labor improbus obſtat.
At tu perge magis monimenta euoluere priſca,
Aſſerere his tandem genuinum perge nitorem,
Atque ita communem rem grata fruge iuuare:
Sic tibi ſic ſtatuam dignam, Sambuce, locabis,
Perpetuamq́ tuo linques de nomine famam.

IN OBITVM MAXIMILIANI PVHLERI A WEItenegk,&c. L. B.

ET tanta humanam rotet inconſtantia vitã,
Tanta volubilitas ac mille pericula verſent,
Vt quæ firma putes ac robore corpora nixa,
Quaſſa cadant ſubitò: quæ florida, marcida fiant,
Ac toties hominum fallantur lubrica vota?
PVHLERVM *quiſnã vegetũ vernantibus annis,*
Et iuuenum, & ſtirpis decus admirabile auitæ,
Deberi fatis adeò properantibus, vnquam
Duxerit? aut Parcas, haud vlli parcere ſuetas
Parcere tot fucis, nec parcere ad optima natis?
Hei miſeram ſortem, quæ peſſima ſera ſuperſunt,
Optima prima ruunt tardæ inuidioſa ſenectæ?
Ille ſatus priſca proauorum ſtirpe, verendos
Natales propriis auxit virtutibus: vtq́;
Stemmate non vlli, generis nec ceſſit honore:
Sic virtute aliis, ſic linguis æmulus iuit.
Iamq́; tot edoctum linguas arteſq́; tenellam
Vincere quæ poſſent ætatem, mater amatum
Vix gnatum excepit, vix excepere ſorores,
Turbaq́; amica ſuum ob reducẽ ſibi gaudia fingẽs:
Ecce repentino correptum turbine deflet,
Abruptum fato deflet pia mater iniquo,
Deflet amicorum cœtus, iuueniq́; ſuprema,
Heu toti ſoluit ſtirpi modo iuſta ſuprema.

Sed cùm nil morti exemptum, nil orbe perēne,
Cunctaque ſint fatis obnoxia: fata feramus,
Fatorumq́; vices fato diſcamus ab iſto.

IN NATALEM LAVRENTII NIERNBERGERI IC. S.C. MAIEST. à Secretis in Camera Aulica, gratulanlantur eiuſdem Cameræ familiares.

DVM *tecum incolumes præſenti luce reductū*
Natalem aſpicimus, vir celebrate, tuum:
Vota Deo exactum meritò ſacramus ob annum,
Proq́; ſecuturo tempore vota damus.
Laus tibi, ſumme Deus, cuius tutata patronum
Et columen noſtrum dextra benigna fuit.
Laus tibi, qui tanto fungendi munere rite
Extiteris præſens ductor & autor ei.
Vtq́; tot hunc curis, tantisq́; laboribus actum
Texiſti, dextra ſic tege deinde tua.
Auxilium cœptis, vires animoq́; miniſtra,
Perpetuum ſani corporis adde ſtatum.
Hæc votis rogat ille ſuis: hæc pectore vota
Nos damus: ò votis annue vtrinque DEVS.

HVGO-

HVGONIS BLOTII IC. ET
BARBARÆ OBERSPERGERÆ
Sponſorum
SPONSIO.

SPONSVS loquitur.

NOVI *equidem, rerumq́ue mouens diſcrimina noui,*
Quæ demum ſit vita, toro abſtinuiſſe iugali,
Et priuare ſuum tædis genialibus æuum. (res,
Nam ſtatus vt cælebs aliquos mereatur hono-
Dignior ipſe toro: tamen hunc incommoda ſæpe
Et ſua fata pari coniuncta dolore ſequuntur.
Qui te fortè leuet curarum pondere, nemo eſt:
Qui tibi mærenti præſtet ſolatia, nemo:
Quæ tibi promittat ſobolem ſpes integra, nulla,
Quæq́ue tuum geſtet nomen gens poſtera, nulla,
Sic requiem duræ ſortis, ſolamen, aſylum,
Ex alio nequicquam, ex te ſperaueris ipſe,
Ipſe oneris pars ſola tui, pars ſola laborum,
Ipſe tui ſenij baculus, ſtirpisq́ue ſepulcrum,
Quo cū fortè rogū ſubeunt gens, ſtēmata, nomē:
Adde quòd in dubium non raro fama vocatur,
Si tibi ſuſpicio vetitos affinxerit ignes.
Hîc verò facilem medicinam, & cōmoda larga
Coniugium ſtabili ſancitum fœdere præſtat,
Dans vitæ comitem, curis lenimen, iniquæ

Sorti temperiem, lætæ moderamen, amori
Delicias, annis ſpem, ſubſidiumq́ labori,
Et refrigerium Veneri, requiemq́ ſenectæ,
Auxilium cœptis, ac dulcia pignora lecto,
Per quæ fama patrū longinquos tranſit in annos.
Hæc ego dum proprio perpendo ſingula ſenſu,
Cœlebs vita vale, tuq́ ô Hymenæe faueto.
Dumq́ ita diſpicio ſociam coniungere vitæ,
Tu mihi prima ſubis, tu voti prima voluptas,
Sola placere potes. Te fas vxore potiri,
O matrona, decus ſpectabile matronarum.
Eia agè, ſi cura ſimili fortaſſe teneris,
Iungamus vota, & iungamus pectora tandem.

SPONSA.

SVNT *ita, quæ memoras: ſed libertate viciſſim*
Poſſe frui, res eſt longè precíſior auro.
Et quamuis cari poſt triſtia fata mariti
Induxi nunquam tædas iterare iugales:
Tu tamen inflectis ſenſus, animumq́ labantem
Impellis, fateor: nec me diducere poſſent
Fortè leues cauſſæ. Poterit ſuccedere votum.

SPONSVS.

DII *votum firment. Ergo, tibi* SPONSA,
iugalem

SPON-

SPONDEO, *do, promitto* FIDEM: *tibi fidus Achates,*
Fidus ero coniux, & caſti SPONSOR *amoris,*
Vna meæ ſedes eris, & cura vnica mentis,
Nec quicquã noſtrûm, niſi lethũ, rumpet amorẽ:
En dextrã, pignus fidei: en ſacra numina teſtor.

SPONSA.

ERGO *tibi* OBSEQVIVM, SPONSE *ô dilecte, iugalem*
SPONDEO, *repromitto: tuum propenſa futura*
Ad nutum te ſedem oculis fixura tenacem,
Te dominum veritura meum, portumq́; ſalutis,
Tota addicta tuæ fidei deuotaq́; coniux.

HYMENÆVS.

SALVE SPONSE, *noua beate Sponſa,*
Salue SPONSA, *nouo beata Sponſo:*
Vos dextris thalamum ſubite fatis,
Fato dexteriore coniugalem
Vitam diſcite: SPONSIO *ſubinde*
Occurrat memori repoſta mente:
Alternam geminate SPONSIONEM,
Certantes ſtudio frequentiore:
Sic concordia vos ligabit alma,
Et fortuna torum beabit ampla.

ADAMO A SCHLIEBEN, Coss. BRANDEBVRgenſi.

NE *qua tuos lateat tellus incognita viſus,*
Tertia pars orbis nunc adeunda tibi eſt.
Antè quidem Europæ populi diuerſaq́ regna
Sunt impertæſo viſa labore tibi.
Africa quasq́ ferat, quas tellus Barbara gentes,
Hiſce peragratis partibus antè tenes.
Nunc Aſiã, Solymamq́ vrbẽ, ſacrumq́ ſepulcrũ,
Viſere mens miro geſtit amore tua.
Ergo iter hoc terraq́ tibi pelagoq́ ſecundet,
Qui præſtare poteſt cuncta ſecunda, DEVS:
Hoc vt difficili curſu, plenoq́ periclis
Confecto, redeas auctus honore domum.

AD MARCVM MANTVAM BENAVIDIVM, PATAVINVM Gymnaſiarcham, &c.

SIVE *tuam retro exactam conſidero vitam,*
Siue recens æuum intueor, canosq́ verendos,
Mirandi cauſſa eſt, imò eſt mihi cauſſa ſtupendi.
Nam quis te verè, quis te neget eſſe beatum?
Cui bona tanta, modò quæ ſunt rariſſima mũdo,
Affluxere ſimul numeros completa per omnes?
In quo doctrinæ variæ, Iuriſq́ ſacrati

Dudũ ſummus apex, & virtus ſumma reluxit?
Vnde viam ad laudes maturè & culmen honorũ
Strauiſti, fama dudum ſuper æthera notus,
Carus principibus, carus quoque regibus altis,
Qui certare tuis ſunt viſi in honoribus vltro
Augendis, comitis præluſtria ſigna ferentes.
Sed canos iſtos iam tantâ ætate grauatos,
Quanta ferè noſtro nunc eſt incognita ſeclo,
Quis non miretur? quis non fauſta omina dicat?
Nempe tibi duplo maiorem fata dedere
Communi ætatem, quò bis euadere poſſes
Siue ter illuſtris, ter magnus, terq́ꝫ verendus.
Dignus eras, vegetæ redeãt cui in corpora vires,
Quiq́ꝫ aliud tantum traducas molliter æuum.

IMMATVRVM FILII
WOLPHGANGI OBITVM
luget
WOLPHGANGVS SCHAFLER, IC.

HEV *quis te, fili, quis te mihi caſus ademit?*
Quáſve tibi iniecit Parca ſeuera manus?
Parcere ſi cuiquam fas, annis parcere, flori
Fas erat ingenij parcere, fasq́ꝫ patri.
Tu ſpes certa patris, baculus vergentibus annis,
Tu requies olim tuta futura patris:
In quo viua ſui ſplenderet imago parentis,
Ingenio, ſtudio, conſilio, arte, fide:

Tu ſpes fluxa cadis, ſenium tu fallis inerme,
Pectoris ipſe iaces vnica cura mei.
Quàm dubio noſtras res ac ſpes turbine verſat,
Quæ finem cunctis mors dat vbique ſuum?
Quã nihil hæc conſtãs toto vel in orbe relinquit,
Sed rebus certam detrahit vſque fidem?
Et iam ſerá venit, iam ſpe velocior omni,
Iamq́; rapit iuuenes inuida, iamq́; ſenes,
Nec voluit iuueni tibi parcere ad optima nato,
Nec mihi, cui per te laus oritura fuit:
Sed florem cruda ſurgentem falce peremit,
Spemq́; tuæ frugis ſuſtulit hora breuis.
At tantò nobis viuis felicior ipſe,
Gaudia quòd temet non peritura manent.
Spes hominum dubias, curas iam deſpicis omnes,
Temnis & humanas, ſorte vagante, vices:
Nos variis agimur fortunæ fluctibus omnes,
Nos quatiunt morbi, cura, pericla, labor.
Certa tamen cunctis, horaq́; modoq́; latente
Mors ſuperanda venit, quæ ſuperata tibi.

QVERELA DE RECVSATO PRIMVM ITINERE Byzantino.

AD MECOENATES.

VSQVE *adeóne meis igitur contraria votis*
Experiar cuncta? & ſucceſſum fata negabũt
Semper dura mihi & conatibus inuida iuſtis?

Credo equidẽ, aut quarta natũ me ſortè Diana,
Aut animo tales, auerſo numine, honeſtos
Nequicquam meditari auſus laudãdaq́; cœpta:
Sic eluſa ferunt iterum mea vota repulſam.
Hoc quoque, quod nullo propè iure modoq́; negari
Rebar iter mihi poſſe recens, obſtacula ſentit.
Proh, dubia ſemper, greſſu ad maiora negato,
Conditione premar? nec ſi mihi multa mouenti,
Fortè nec indigno, dabit anſa cupita? periclis
Sit licèt illa ſuis etiam coniuncta, vel æſtu,
Vel tentanda gelu, tentanda faméve ſitíve:
Dum quid perdiſcam, rerumq́; inſtructior vſu,
Luſtratis ampli diuerſis partibus orbis
Ac populis, ſeruire Deo ac mortalibus olim,
Communemq́; mea rem poſſim parte iuuare.
Iam mihi ſcurra rudis vel ſeruus, tergere veſtes
Atque ocreas, & equos doctus depectere, iniquè
Præfertur, fruiturq́; via, qui deinde reuerſus
Vel fumos narrat mihi, vel deſerta patenti
Tractu viſa, vel hîc imbres ventosq́; fuiſſe,
Illic fortè vias niuibus riguiſſe profundis.
Sed quis erit noſtri voti hoſtis? & inuida quænã
Eiuſdem mihi cauſſa putabitur interuerſi?
Anne Deũ incuſẽ? Nõ his cõtrarius iuſtis (queſtu
Eſt Deus. Anne homines atque inuida pectora
Proſequar? Ah qualis facta interceſſio, quanti
Quamq́; graues mea cœpta viri voluere iuuare?
Ac quenquã ipſorum fas verba & vota ſuperbis

Auribus excutere, & reſponſo eludere duro,
Delphica quæ potiùs iuſſa atque oracula ſunto?
Vos certè, ô titulis, virtute ac ſtemmat: clari,
Et clari grauitate viri, vos ſponte clientis
Egiſtis cauſſam, parteſq́ fideliter omnes
Inter, ſi quà iuuet, pro me poſuiſtis & ore
Et ſcriptis: fortuna meis tamen obſtitit orſis.
At mihi ſic pereat laudis ſeges, anſa ſalutis,
Materieſq́ mei ſtudij? Sic deſerar vſque
Infelix? neque ſic curſum & bene cœpta Themi-
Pertractare queam felici tramite Iura, (ſtos
Quæ forſan mare permenſo, pòst Itala tellus,
Nauali quæſita via, repetenda dediſſet?
Reſpice me tandem Deus, ô Deus annue cœptis
His ſtudiis, vltròq́ iuua conamina iuſta:
Quod conor, tibimet conor, quodcunque laboro,
Ecce laboro tibi. Tu ſis mihi meta laborum
Ac finis: tibi cunctus honos & gloria cedat,
Officia ac fructus aliis, mihi prora ſalutis.

8. Octob. 79. Mercurio retrogrado.

IN EFFIGIEM IOACHIMI A SINTZENDORF, &c.

PARTE q̃dẽ, *Ioachime, recẽs te reddit imago,*
Parte lates potiore tui: quam reddere ſolers

Nec

Nec Zeuxis, nec Protogenes, neq; nouit Apelles:
Solus eam noſti ſumma depingere laude.
Si tamen eſt vultus ſpeculum quoque mentis & index,
Heroo ex vultu quis non heroa notaret
Pectora, & egregias dotes è fronte micantes?
Prima viros generis claros ab origine, multùm
Ornat, & æquales Diuis Clementia reddit:
Quam tu vitali pariter cum luce receptam
Fronte ſerenata promittis, & exeris vltro.
Lenè tuus ſpirat vultus, ſpiratq; ſeuerùm:
Sic mitis grauitate, grauisq; in pectore mities.
Cætera non vultus, non hæc oſtendit imago
Abdita dona animi, ſed & hæc non abdita dona.
Nam tua quem virtus latet, ac doctrina ſagaci
Mente repoſta? tuæ facundia mellea linguæ
Quē latet, inq; ſedens labris ſuauiſſima Pitho?
Quaq; faues, pariterq; foues in honore Camœnas,
Rara quidē (heu) virtus, ſed laudatiſſima virtus.
Quid, quòd & ipſe duos alterno fœdere Reges,
Et populis vtrunque, & bello vtrunque potentē,
Nectis? an aſſertor pacisq; togæq; vocari
Non mereare? Tua tanta è virtute reſultat
Chriſticolis fruges, Pax, cuſtos optima rerum.
Erro, tuas qui velle putem me prendere laudes,
Faſciculoq; omnes vno concludere: namque
Laudibus eſt maior, numeros ſuperemineت illa
Summa in te virtus, ſumma ars, facundia ſumma.

ALLVSIO PARAPHRASTICA AD EMBLEMA EIVSDEM Ioachimi à Sintzendorf, &c.

NEMPE globo quadrãt regnorũ fata viceſq;,
Ambiguoq; globo, cuius iã ſumma ſub imũ,
Imaq; ſub ſummum varia vertigine tendunt.
Fluctibus ille natat rapidis iactatus aquarum,
Vt dubites, ſurſum vertatur an ille deorſum.
Aſpice Chriſtiadum regnum. Non hoſtibus illud
Externis modò quaſſatur: furit intus alitq;
Inteſtina vago rerum ſub turbine bella:
Ceu globus, in plano qui mobilis ima volutat
Surſum, ſumma deorſum, & ſedem vitat eandẽ,
Ni ſiſtas motum, & certa ratione gubernẽs.
Huic Palamedis auis (ſub qua vigilantia pulcrè
Pingitur) inſiſtit dextro pede: Ramus oliuæ
Cui premitur, ſimul & vagina conditus enſis.
Queis regni commiſſa ſalus & publica cura eſt,
Hoc opus incumbit, placidam componere pacem,
Ordine quæq; ſuo, lege ac moderamine iuſto
Dirigere, ac vigili non vnquam parcere curæ,
Ne vel ab externis faſtigia verſa procellis.
Vel propriis peſſum ſubſidant motibus acta:
Vnde oleæ ramus ſacer, & pax optima rerum eſt.
At ſi dira fremat fluctu ſuperante procella,
Euerſura globum, ſiq; hoſtes acriùs inſtent,
Tutan-

Tutanda eſt ſtatio, gladius ſtringendus, & illis
Robore concordi, & conſtantibus opponendus
Eſt animis: & ſic CHRISTO DVCE *cuncta*
gerenda.
Id quod fronte gruis fulgens, adamante requirit
Annulus inſerto, conſtantis ſponſor amoris,
Arra ſimul Fidei, qua nobis iungere Diuos,
Iungere quaq́; homines ſtudiis poſsimus amicis.
Has ita virtutes ardore ſequentibus acri,
Succeſſus ſeſe, & facilis victoria pandet,
Emeritumq́; decus, munusq́; inſigne Corollæ
(Quam grus protēdens, ſpinas captātibus extrà,
Intus odoratos oſtendit margine flores)
Cedet, & haud vnquam morituros fundet ho-
nores.

FINIS LIBRI I.

CARMINVM HENRICI PORSII IC. LIBER II.

AD MAGNIFICVM IOANNEM A SINTZENDORF, &c. COSS. Cameræ Aulicæ, &c.

CVM tua, cumq́; tui fratris merita ampla recordor,
Quæ ſemper memori pectore fixa gero:
Exclamare lubet toties, hæcq́; edere verba,
Hos Mecœnates fata dediſſe mihi.
Namque mihi veſtro plura obuenere fauore,
Quàm ſperare auſus, quámque rogare fui.
Ergo meæ autores ac fontem voſmet habebo
Fortunæ, rebus præſidiumq́; meis.
Et ſic veſter honos nomenq́; ſacrabitur æuo,
(Si tantum Muſis fas tribuiſſe meis.)
Cuius ego pignus ſtatuo hunc, quem dono libellum,
Pro meritis magnis munera parua ferens.

M. V.
addictiſs. cliens,
Henricus Porſius IC.

HENRI-

HENRICI

PORSII IC. CARMINVM LIB. II.

VOTA

ISTRI ET BOSPHORI THRACII, PRO FELICI IOACHIMI A SINtzendorf, Coſs. & Oratoris Cęſarei in Curia Ottomannica, &c. tum reditu in patriam, tum ingreſſu in thalamum HELENÆ LANGIN, Baroniſſæ, &c.

FAMA vagabundis peragrabat paßibus orbem,
Fama bonum, quo vix aliud præſtantius vllum
Laude viget, vireſq́; ſuas acquirit eundo:
Parua quidem primò, ſed ſenſim mole recepta
Creſcit in immenſum, ac lato ſe porrigit orbe.
Hanc virtute ſatam perhibent, cui fortè roganti
Præmia, diuino ſic Iupiter ore locutus:

Tu mihi(dixit)eris, ſed erit tibi filia Fama,
Teq́ ego muneribus, te nata beabit honore.
Hinc ſoboles-matrem ſequitur certiſſima Fama,
Cui celeres alæ, ſubq́ alis lumina mille,
Mille aures, linguæq́ ac ora ſonantia mille,
Vitaq́ fine carens nullisq́ obnoxia fatis.
Hæc primùm virtute tua, ceu matre creata,
O Ioachime, virûm decus, & lux clara tuorum,
Emerſit, ſenſimq́ hominum ſubrepſit in aures,
Ipſa tuo pariter creſcens cum nomine Fama.
Iamq́ ſatis patrium diffuſa repleuerat Iſtrum,
Et gelidi ripas Albis, Rheniq́ bicornis,
Et ſecum nomenq́ tuum, laudesq́ ferebat,
Cùm porrò gradiens Atheſisq́ Padiq́ fluenta,
Vulturniq́ citi, lateq́ ſtrepentis Elori,
Tybridis ac Chryſæ laxatis occupat alis,
Non Rhodano celeri, non antè ignota Benaco,
Nec ripis Tage fulue tuis, nec lenis Iberi,
Quæq́ alibi tractu diuerſo flumina currunt.
Hæc quoq́ Thrëiciũ iã tum ſuperauerat Hebrũ,
Vlteriore Aſiam gaudens contingere curſu:
Quæ cùm Boſphoricis Ponti prope littora ripis
Inſonuit, iam facta ſuo notiſſima motu;
Boſphorus, extremam Europæ qui terminat orã.
Excitus canum ſtreperis caput extulit vndis,
Cui duplex facies duplicem circumſpicit orbem,
Fluctibus & rorant humerũ per vtrumq́ capilli.
Huic anguſta quidem, ſed regna potẽtia ſubſunt,
Aerea

Aerea pro ſceptro clauis, qua nixus vtrumque
Aequor, vtrumq; orbē clauditq; aperitq; potēter.
Tunc Iſtrum (dulces namq; Iſtri ſenſerat vndas,
Quas hic in Pontum ſeptena per oſtia ſundit)
Ad ſeſe vocat, & verbis affatur amicis:
Iſter amate mihi, patrium qui flumine Pontum
Ipſe tuo miſces, quæ dicam ſuſcipe verba:
Fama frequēs noſtras dudum circumuolat oras,
Quæ ſonat Vngarici per littora noſtra, p vndas,
Legatum Regis, virtute atque ore verendum:
Hæc quoque, quæ mētes multorū inuaſit & aures,
Me tandem rumore ſuo permouit, vt illum,
Gente licèt natum Chriſti cultrice (cruentis
Quam pariter mea gens odiis exercet & armis)
Non tamen inuidia, ſolito nec crimine carpam,
Sed votis, digno ſed proſequar ipſe fauore.
Cumq; profecturus patrias dicatur ad oras,
Et ſibi conſortem thalami iuncturus amicam:
Nec me pro reditu, nec te pro fœdere fauſto
Connubij pigeat meditari ſeria vota.
Hunc Iſter, viridi velatus tempora muſco,
Et barbam glacie ſqualens, excepit amicè:
Boſphore, cui gemini ſeruatur ianua ponti,
Quē penes eſt arcere mari, & tranſmittere pup-(pes:
Digna mones, monitūq; ſequi te prōpta volūtas,
Me monet officij ratio: cui cognita tellus
Patria, natalesq; viri, fortunaq; vitæ,
Et (cuius fruges redit ad me maxima) virtus.

Nobilitate domus veteriq́; è ſtemmate clara,
Auſtriacis habitata locis, huic præbuit ortum,
Nomine gentili quæ SintZendorfia dicta.
Hanc tamē ipſe ſuis cum fratribus (æmula quorū
Et laus & virtus cedendi neſcia fulget)
Splendidiore locat ſub luce, genusq́; vetuſtum
Euectum ſuper excelſum fert æthera fama.
Aſt ipſum (ſi multa licet comprendere paucis)
Quis neſcit teneris æui florentis ab annis
Virtuti aſsiduis iunxiſſe laboribus artes,
Quas credas (ſi vita illis tribuenda) ſub ipſo
Viuere, & eiuſdem legiſſe in pectore ſedem?
Tam numeris perfecta ſuis, tam conſona floret
Vtraque, tam pulcro conſpirat iuncta tenore.
Vtq́; rudi gemmæ, quæ nondum cote polita eſt,
Vſus nullus ineſt & gratia nulla decúsve:
Sic animi dotes vſu rectore carentes,
Eſſe parum gratas ſenſit, ſimilesq́; ſepultis.
Ergo penetrauit peregrinas impiger oras,
Et mores hominum multorum vidit & vrbes,
Quæ regio, quæ relligio, quæ lingua ſtatusq́;
Publicus, & quid ſit duris aſſueſcere rebus.
Hinc linguā linguis, hinc mētem inſtruxit acuto
Iudicio, pectusq́; penu prudentis adauxit
Conſilij, multo ſat confirmatus ab vſu.
Talibus inſtructum donis, quæ dixeris ipſam
Aetatem ſuperare, tulit quoque Fama ſub aures,
Maxmiliane, tuas (quem terris Numē ademptū
Suſcepit

Suſcepit cælo, diuisq́; immiſcuit altis)
Protinus his dictis cùm mentem atque ora reſol- *(uis:*
Nimirum hic noſtræ meritò debebitur aulæ,
Dignus eam qui parte ſua decoretq́; iuuetq́;.
Dixit, & aſcitum, cùm nõdum quinque fuiſſent
Luſtra peracta viro, iuſsit reſidere Senatu
Excelſum ad regimen, reique vacare iuuandæ
Communi, dubiasq́; fori cognoſcere cauſſas,
Ritéque diſcuſſas æquo decidere iure.
Hinc perſpecta viri doctrina, induſtria, & oris
Gratia diſerti, mox ad maiora vocatum
Imperij fecit tractare negotia ſacri,
Conſiliumq́; ſuum in ſublimibus edere cauſsis.
Iamq́; nouus Geticæ qui nuncius afforet aulæ,
Deſignandus erat, qui tantum munus agendo
Dexteritate, fide, nec non grauitate valeret:
Cùm Pallas ſe diua ferens ad Cæſaris ora:
Nec latet hæc (dixit) me conſultatio Cæſar,
Nec longam petit illa morã. Qui claret in aula,
Omnibus ipſe modis patriq́; tibiq́; probatus,
Cur Ioachimo illas dubitas decernere partes?
Legati qui cuncta tenet, quæ dona requiras.
Dicta probans Cæſar, mox oratoris honorẽ
Atque onere impoſito deſcendere iuſsit ad vrbẽ
Thrëiciam, & fidos pro pace ſubire labores.
Actaq́; ſub gyrum iam tertia bruma cucurrit,
Ex quo Turcorum populis aſſueſcere cœpit,
Ac rem communis patriæ fidiſsimus egit.

Non ignota tibi tractatio, Boſphore, rerum,
Non operæ curæve, nec ipſa pericula quendam
Intentata viro: ſed quæ mihi cuncta ſalubrem
Et Drauo pacem & celeri peperere Tibiſco.
Quàm verò (memori quod nobis mēte recurrit)
Turcus vbi belli furiis accenſus iniquis,
Arma minabatur, demensq́; edixerat arma?
Quàm non ille ſuæ fidei nec partibus vſquam
Defui? aut quem non lapidem pro pace tuenda
Mouit, vt inſani miteſceret ira Tyranni,
Resq́; ſtatum caperet rurſum inclinata quietum?
Pacis enim tractanda fuit cuſtodia, & hoſtis
Arma parans inopina, nec artę aut robore belli
Debilis, addicta pacis de lege monendus.
Nubila ſic Phœbo (quod fata dedere) ſereno
Pulſa receſſerunt, duplexq́; refuſa voluptas
Exhauſtas illi curas recreauit abunde,
Nempe labaſcentis reparatio priſtina pacis,
Famaq́; ſperatæ quæ venit nuncia SPONSÆ,
Præſtantis ſponſæ, quam Iuno dote beauit
Diuite, ſed formam tribuit Cytherea venuſtam,
Natales Lucina amplos de ſtirpe Baronum:
His comites adſunt pietasq́; pudorq́; decorus,
Cunctaq́; honoratā dona exornantia matrem.
Nomine ſic Helena ac forma, Lucretia caſtis
Moribus, ingenio fuerit dicenda Minerua.
Nimirum vir dignus ea, digna illa marito,
Digni vtriq́; ſimul, quos proſpera vota ſequātur.

Vota

Vota iuuēt ſuperi: gratāti BOSPHORVS *ore*
Subiicit. Ergo tibi munus, IOACHIME, *peractū*
Laude tua, ſed fruge orbis iam grator, & illos
Qui te te expectant, teq́ inde ſequentur honores,
Comprecor et fauſtū ſub tecta paterna recurſum:
Te Fortuna frequens lætantibus ambiat alis,
Duxq́ comesq́ viæ, vitæ, votiq́ petiti:
Quod tibi, quodq́ tuis, quod Spōſæ fata ſecūdent.
ISTER *ad hæc. Quòd tāta tuis ꝓuincia dextrè*
Geſta humeris, tantus labor exantlatus, amicam
Littoribusq́ meis, Drauoq́ Sauoq́ propinquis,
Nutriuit pacem, non vltima gratia cedit,
Debeturq́ tibi, verbis ſat neſcia ferri:
Dij, Ioachime, tibi ac totus pro talibus actis
Orbis Chriſtiadum grates expendat, & iſtis
Pro tantis meritis ſtatuat præconia digna.
Iamq́ mihi incolumem te te Deus ipſe reducat,
Et faciat tandem patria tellure potiri.
O lætam hanc oſtende Deus mitiſsimè lucem,
Hanc lucem accelera, atque ortu demitte ſerenō:
Tū Nymphas videā noſtras, tū flumina ab imis
Exultare vadis, fremituq́ ſonare ſecundo:
Tum populos, vrbesq́, domosq́, hominesq́ fauēti
Voce ſalutare hunc, & lætos edere plauſus:
Tum magnus Cæſar, fraternus Cæſaris ordo,
Ac reliqui proceres reducem linguaq́ manuq́
Excipient, faciliq́ ipſum amplectentur amore,
At tua, quæ dudum te te ſuſpirat, & vſque

Vſque ſuũ exoptans HELENE *præclara requirit,*
Quæ, Ioachime, putas formabit gaudia mente?
Quos plauſus, quæ ſigna dabit? quæ vota refun-
O mihi ſiſte meũ (dicet) Deus alme maritũ, (*det?*
Quem mihi vis iungi, ſaluum mihi ſiſte maritũ.
Sed quid tu, Ioachime, tibi quæ vota recurrunt?
Tu: Quæ cœpta DEO *duce ſunt, ea ꝓuehat autor*
Ipſe Deus, pariterq́; viam thalamumq́; ſecũdet.
Vota iuuẽt Dij veſtra, iuuẽt quoq; cõſona noſtra.
Sic quos viſus adhuc ſeiungit mutuus, illos
Iungat in aſpectum Deus, amplexumq́; iugalem,
Concordesq́; in amore liget, ne ſemina litis
Vlla ſuperueniant vitæ exitiale venenum:
Det natos patri ſimiles, ſimilesq́; pudicæ
Filiolas matri, quò ſtirpem in ſecla propagent:
Fortunamq́; annis idem det cernere ſeris:
QVOD, *Ioachime, tibi, quod ſpõſæ fata ſecundẽt.*
His dictis notum deſcendit vterq; ſub antrũ,
Quem circum inſolito ſonuerunt murmure
Nymphæ, (*tis.*
Vimq́; precabantur firmandaq́; pondera vo-

Conſtantinopoli, 5. Martij. 81.

AD SPONSOS.

HYMENÆI SORS TECTA.

HOc *etiam reuocat nobis Dionyſia tempus,*
In luctum quamuis hæc abiere modo:
Feſta

Feſta patri quondam Baccho ſacrata, ſed inde
Conſtanti ad noſtros more retenta dies.
Scilicet hæc genium donant, rebusq́; vacare
Hæc lætis homines, tempora læta monent.
Hic ficto ſibi Marte placens luctatur in armis,
Signa vel extento pendula fune ferit.
Hic perſonata in facie ſua munera cauto
Murmure deponens lucra referre ſtudet:
Ille iacit tectam ſortem, iacit alter apertam,
Sorte volunt iuuenes ludere, ſorte ſenes.
Quin ſuus & thalamis eſt ludus, & alea tædis
Eſt ſua, & alterno ludit amore torus.
Ipſe quoque, hæc cui ſunt cõmunia feſta parentis,
Quiq́; frequens thalamis dicor adeſſe nouis:
Ipſe mea pro parte lubens genialia feſta
Exorno, ac pulcro dignor honore patrem:
Ad cuius ſolenne ſacrum mea ſacra reſeruo,
Subq́; nouas tædas gaudia mille creo.
Iamq́; nouis, SPONSI, *thalamis me ſiſto, ſub ipſo*
Quo ſolennia adhuc tempore Feſta vigent:
Digna ferens vobis en munera, temporis huius
Non aliena die, non aliena toro. (TECTAM
Ergo quam tribuo SORTEM, DVO CORCVLA,
Accipite, ac veſtro deinde fouete ſinu:
Ludite ſorte pari, vos ô duo Corcula: Sortem
Detegat ipſa Fides ſancta, ſacerq́; Pudor.
Sic tibi per Sortem (nec me ſors fallet) amica
Cedet SPONSE FIDES, *& tibi* SPONSA PVDOR.

Ergo SPONSE FIDEM *Sponſæ tutare iugalem,*
Atque feres Sponſæ munera cara tuæ:
Ergo SPONSA *ſacrum Spōſo tutare* PVDOREM,
Atque feres Sponſo munera cara tuo.
Ite parem in luſum, & ſortem miſcete iugalem,
Parte Fides poterit vincere, parte Pudor.
Quod ſi veſtra pari colludent Corcula luſu,
Talis & in thalamis alea iacta cadet.
Pulcra Fidē ſoboles, ſoboles quoq; pulcra Pudorē,
Et iunctum pectus pectore, ſuauè canet.

AD EOSDEM SPONSOS VOTVM.

ERGO *coniugij iam luditur alea vobis,*
Veſter & alterno ludit amore torus?
Ergo tecta priùs Sors, iam detecta, iugalis
Felici in thalamis omine iacta cadit?
Concordesq; animos & Corcula iungitis ambo?
Corcula, quæ ſtabili pectora pace ligent,
Scilicet hæc vobis hæc vota, nec irrita vota
Noſter Hymenæus ſorte fauente dabat.
Nec fallent hunc vota: Duo ſi Corcula voſmet
Iungitis, effectum ſunt habitura ſuum.
Pectoris hinc vos vna, vt corporis vna ligabit
Copula, ſic deinceps mens reget vna duos.
O dulce imperium, ô vel dulci nectare vita
Dulcior, ô felix ambroſiāq; magis:

Vnus

Vnus vbi in geminis eſt ſpiritus, vna voluntas,
Mens vna & ſtudium, vox regit vna duos.
Non mas vxori contrarius, illa mariti
Propenſa ad nutum ſe facilisq́; parat.
Iam tum nil præter: Meus ô tu, tu mihi ſolus
Præſidium, & vitæ es portus & aura meæ:
Et: mea tu: tu ſola places, tu ſola voluptas,
Te ſine nil carum, nil mihi dulce puto.
O thalamum longis dignum vel Neſtoris annis,
Sæuior hunc quatiat nulla procella torum.
Hæc eadem vobis imo de pectore vota,
Proſpera quos videant ſecula, firma precor.

AD INSIGNIA TOBIÆ WEISS, AVLÆ CÆS. FAMILIARIS, &c.

NON *fucus generis fallax, nec ſplēdor inanis,*
Verū in imaginib. pictis virtutis imago eſt,
Vt quas ipſa parit virtus, quas ipſa tuetur:
Hac etenim (quamuis ſit honore excelſior) ambit
Ac veſtigat honos: & ſicut corporis vmbra,
Sic comes eſt virtutis honos & gloria veræ.
Hinc tituli, laudes, inſignia, ſtemmata, ceræ:
Quæ, veluti merces, hunc æquo iure ſequuntur,
Aemula cui virtus, & mens eſt conſcia recti.
Talis honorata præcellit origine, priſcum
Quæ propria virtute genus cōmendat & auget,
Digna ſuis atauis & auis, ALBINA *propago,*

Cuius in hac picta ſpectantur ſigna tabella,
A proauis accepta, ſed hinc merito aucta decore.
CASSIS *aperta genus prodit, cui fulua Corona*
Imminet, ac galeæ pendet de margine Gemma,
NOBILITATIS *honos, & clari ſtematis index.*
Nam velut infeſtos galea arcet & excutit ictus,
Ipſa illæſa manens: Sic virtus impete nullo
Frangitur, ac duris neſcit ſuccumbere fatis.
E galea ſurgunt ſinuata cacumina, fuluo
Iuncta Leopardo (ſeu Bubala CORNVA *dicas,*
Forſan Amaltheæ ſeu malis fertile cornu,
Vnde Deus talem generi huic indulget opũ vim)
Quid verò in clypeo Leopardi ſigna ferocis,
Cuius villoſus tegitur diademate vertex?
Non hic ſæuitiam vultu minitatur atroci,
Sed plus præſidij, quàm noxæ afferre videtur:
Atque hic vt nulli brutorum robore cedit,
Sic nulli cedet virtute fideq́ue, TOBIAS.
Vtq́ue petit metam neruo demiſſa SAGITTA:
Sic animo nil fraudis alit fictiue TOBIAS,
Fallere vox neſcit, ſed lingua eſt conſona menti.

IN FVNERE IOANNIS AB EIBESWALD, &c. CONSTANtinopoli defuncti.

MEDITATIVNCVLA VITÆ humanæ.

CERTA *quidem mors eſt, incerta ſed hora genusq́ue,*
Incer-

Incertuſq́; locus mortis. Quis numine plenus
Fatidico, certum fati determinet antè
Tempus & euentū? Quis mortem longiùs annis
Arceat ipſe ſuis, ſortémve ſibi eligat æui?
Omnia proponas: blandos veneris honores,
Aut ſecteris opes: lati loca diſſita mundi
Explores, pulcrum ſperans tibi condere famam:
Omnia ſunt mortis: mors te ſectatur in horas
Indiuulſa comes, quò te prendatq́; necetq́;
Fors dubium ſortita locum, ſortita latentem
Horam: quaq́; putas te iam florere iuuenta,
Sterneris: ac te ſtare, cadis, iamq́; optima agenda
Conſilia inſtituis vitæ: mors illa repente
Interuertit, & hac cum ſpe te ſubmouet æuo.
Sic hominum cunctas res ac ſpes turbine verſat,
Nil remorata genus, claroſq́; è ſtemmate Reges,
Nil formam, nil curat opes: virtutibus ipſa
Parcere, vel pulcris conatibus inuida neſcit.
Et tamen ingentem crepitas ſub pectore faſtum,
Extollis criſtam, & tibimet blandiris honore,
Qui genere es maior, vel nummis auctior, vſus
Cui rerum eſt melior, vel cui doctrinula maior.
Ah bulla, ah puluis! Quin teipſum deniq; noſcis,
Materiamq́; tui, ac ortum, mortemq́; minantē?
Iam te iam tumidum ſortiſq́; fauore ſuperbum
Mors inopina feret, teq́; atro funere merget:
Tūc vbi faſtus, opes? vbi forma, potētia & artes?
Summe Deus, cuius nutu nos viuimus omnes,

Quiq; tuo morimur nutu: da noſcere rite
Te, Deus, ac colere: & meipſum da noſcere quæſo,
Daq; mori vt diſcã: & patriæ me reddito, quãdo
Dulce mori in patria: moribũdũ numine præſens
Dirige, & in patriam tandem traducito veram.
Hæc ego te precor: hæc tu reſpice quæſo precãtem.

EPITAPHIVM IOANNIS AB EIBESWALD.

Defunctus loquitur.

QVEM *fore ducebã, luſtratis partibus orbis,*
Ardorem laudi, noxius ille fuit.
Namque tulit lucem iuuenili in flore ſupremam,
Condidit & corpus Thracia terra meum.
Vobis, quos ſtudium hoc ſimilisq; exuſcitat ardor,
Fata ſub externo ſint meliora polo.

AD IOANNEM RIETMAN, &c. ET MARTHAM GATTERmairin, &c.

MAII ΓΑΜΗΛΙΟΝ.

MAIVS *deliciæ fugacis anni,*
Et telluris amor, venuſtiorum
Dotum luxurie ſuperbientis,
Fundit munera, floſculos nitentes,
Fragrantes violas, roſas tenellas,
Fundit liliola, ac thymos olentes:

Quæ

Quæ carpens tenera manu puella,
Et miſcens bene viuidos odores,
Nectit ſerta: tibi nouos amores
Inſpirantia, Sponſe, ſerta nectit,
Dicens ſe Veneris ligare ſerta.
Tu munus capiens, roſas tenellas,
Fragrantes violas, virensq́ ſertum,
Spirando bibis vſque & vſque amorem,
Ac refrigerium petis caloris.
Ergo illa frueris fauente Maio,
Quæ mittit violas, quibus perurit,
Vi grata violenta, pectus ægrum:
Quæ mittit roſulas, amoris æſtum
Vt quæ ſola tui refrigerabit.
Mittit lilia, pectoris pudici
Candorem niueum, nec igne ficto
Teſtatura ſuas calere venas.
O Sponſum quater & quater beatum,
Cui talis venit elocanda virgo,
Cuius purpureo pudor ſub ore
Concertat violaceo colori.
Cui frontis decus, inſitusq́ multæ
Virtutis cumulus (velut roſarum
Exhalans vapor afficit ſuauè)
Allexere procos, eamq́ tantis
Exornatam opibus, beant abunde.
O Sponſum quater & quater beatum,
Quem complectitur integro pudore

Sponſum Sponſa ſuum, vagos nec ignes
Deriuans aliò, nec illum amore
Fraudatura ſuo: ſed æſtuantes
Scintillas animumq́ue ſpondet vni,
Deuotumq́ue reſeruat huic pudorem.
Quid formam memorem, genasq́ue blandas,
Pulcras, dulciculas, venuſtulasq́ue?
Quas pingit roſeus color, decenter
Fuſus lacteolo, notáſque ſignans:
Qualis qui roſulas rubore tinctas
Albis liliolis ſubinde miſcet.
At tu Sponſe quater quaterq́ue felix,
Hac demum potiere concupita,
Pulcellis roſulis venuſtiore,
Albis candidiore lilijsq́ue.
Hac ſolus potiere Sponſe nympha,
Qua non ipſa Venus magis venuſta,
Sunt mellita magis nec ipſa mella:
O Sponſum quater & quater beatum.
Nec tu Sponſa minus beata Sponſo es,
Quem celſis Heliconiæ ſorores
Fouerunt puerum iugis ſacrati
Parnaſi, gremio ſuoq́ue fuſum
Lymphis Pegaſeis probè rigarunt:
Cui ternæ Charites abunde gratas
Dotes contribuere, amabilemq́ue
Afflarunt oculis genisq́ue honorem:
O Sponſam quater & quater beatam.

Vos.

Vos ergo auſpiciis torum ſubite
Dextris, dexteriore inite fato,
Et blandis thalamum iocis, ſuſurris,
Riſu, murmure, ſibilis replete,
Amplexuq́; hederas tenaciores
Arcto vincite: ſicq́; fauſtiora
Pro voto numerate ſecla vitæ.

ELEGIA DE PLENILVNIO
ECLIPTICO ANNI 1576.
ſtrenæ loco miſſa

PAVLO FABRICIO MEDICO
& Cæſ. Mathemat.

IAMQVE *peragrato proles Hyperionis orbe*
Obliquo, ſcapulas Aegocerotis obit.
Ac tropicā ſtringens metā, quæ reſpicit Auſtros,
Diuidit vſuram lucis ab axe breuem.
Hic ſpacium exegit decurſis menſibus annus,
Ac reuoluta ſuo limite terga videt.
Hunc ſuperare etiam, tantosq́; euadere fluctus,
Conceſſit ſummi cura paterna Dei.
Nā quid erat tandem ſperādum Marte furēte
Nos circum, & morbis peſtiferaq́; lue?
Quàm certum exitium, q̄ fata nouiſſima mūdi,
Naturæ facies cùm foret ipſa minax?
Iſta quidem minimè cæca quis ſorte ferente,
Aut fieri ignaro numine fortè putet?

Qui terras moderatur & altū torquet Olympū,
Ipſius hæc veniunt tela vibrata manu:
Queis homines terret iuſtam protractus in irā,
Si queat in rectas hos reuocare vias.
Ipſe etenim, pœnas potiùs ſuſpendere pronus
Vindictam haud vnquam præcipitare ſolet:
Sed ſpacium cunctis, quo fas reſipiſcere, donat,
(Cui nihil eſt noſtra quippe ſalute prius.)
Vtq́, Machaonia, penetret quàm corpora ferro,
Antè ſagax omnes tentat in arte vias;
Interdum ſolito quò reddat membra vigori,
Prouidus auſtero pocla liquore rigat:
Sic hominū haud ſemper votis indulget ineptis,
Nectare commiſcens ſæpe aconita DEVS.
Huic vbi porrectas Medico præbere recuſant
Dextras, & ſana pharmaca fruge carent:
Tunc acie corpus pertentat, & vlcera tandem
Deſperata mouens ſtirpitus illa trahit:
Ni vicina ſimul deſtruxerit oſſa cutemq́,
Tabifica pariter contaminata lue.

Nec pœnarum aliud (quæ Iupiter omina vertat)
Obuia iam mundo dira flagella volant:
De quibus immiſsis haud quiſquā iure queretur,
Aut dicet meritis aſperiora ſuis.
Impietate Dei, dic, nónne laceſsimus iram,
Attrahimus pœnas & ſine fine graues?
Nónne & certatim viciorum ſemina florent?

Luxu-

Luxuries, faſtus, rixa, libido vigent?
Candor amicitia, candor contractibus exul,
Exulat afflictæ relligionis honos:
Debita iuſtitiæ languet reuerentia ſacræ,
Nec, violare fidem, ducitur eſſe nefas.

Siccine perpetuum, puto, Numinis ira quieſcat,
Proq́; hominum votis cuncta petita cadant?
Sed tandem tandem rigidas exardet in iras:
TARDA *licèt, tamen eſt vltio certa Dei.*
Sæpius is iuſtæ, ſcelerum iuſtiſſimus vltor,
Triſtia vindictæ dat documenta ſuæ:
Sæpius inſolitas elementis miſcuit almis
Effigies: æther edidit ipſe minas.
Vidimus infauſtos (at non impunè) vagantum
Aſtrorum coitus, terrificasq́; vices.
Vidimus obſcura merſam caligine Lunam,
Viſus & es fuſcam Phœbe dediſſe facem.
Nimirum ſat conſpicuæ, quas vindice, pœnæ,
Infligit dextra non ſine clade Deus:
Vnde etenim tot morborum contagia dira,
Ac dudum noſtris bella parata plagis?
Vt taceam nunc inteſtina pericula, quorum
Nos circum Oceanus ſæuus vbique fremit?
Obduxere tamen durum præcordia callum,
Pectoraq́; indomito nunc adamante rigent.
Publica vix hominũ tangũt incõmoda quenquã,
Votis illa ſuis nemo leuare ſtudet.

Dum locus his igitur, dum præbet Iupiter aures,
Funde preces, optas qui meliora tibi.
Quòd ſi diſtuleris ſecurus, vt antea, prorſus
Falleris: caſu namque premere graui.
Et licèt ad tempus vitiis conniuet iniquis,
Hæc tamē haud Iudex ſummus, inulta feret.
LENTA *quidē vindicta Dei, ſed atrocius vrgēs*
Supplicium, penſat temporis inde moram.

Signa ſecuturas meritò teſtantia pœnas
Iam permulta diu conſpicienda dedit.
Nam vultus attolle tuos ad ſidera (mundum
Diſpenſant poſitu ſidera celſa ſuo)
Aſpice, ſtellarum ferales aſpice ſedes,
Et decreta orbi mille pericla malo.
Haud ita ſe pridem Borealibus intulit oris,
Luce micans tremula, fax peregrina polo.
Fax nempe hæc orbi deſignans omina tetra,
Iam licèt in fumos attenuata leues.
Quid quòd in exitium quaſi cōſpirare videntur
Noſtrum ſorte, Dei fata miniſtra, pati?
Vix dum, quà picea tinxit ferrugine malas,
Signifero Titan tramite duxit equos:
Iam ſimulac Nonas mēſis numerauerit hornas,
Qui vetus octauo nomen ab imbre tenet:
Erectos conuerte oculos ad climata cæli,
Et ſua ſtellarum rite tuere loca.
Namq; vbi condiderit Phœbi Tarteſsia Calpe
Alipe-

Alipedes, quos tum pendula Libra vehet:
Antipodumq́, alma populos Sol luce reuiſens,
Paulatim ad cœli flexerit ima viam:
En bigas pelago niueas extollet Eoo,
Cornibus effulgens Cynthia plena ſuis:
Phryxæisq́ ſedens tergis, & lumine fratrem
Obtuit a aduerſo, culmina ſumma petet.
Hác trãſgreſſa igitur, quæ cũctas vltima claudit,
Cœperit vndecimam quando ſubire domum:
Incurret tenebras, obiectu Solis obortas,
Quas tellus Lunæ ſpargit ad vſque facem.
Atque ita ſubrubeo frontem velabit amictu,
Immergentq́ vmbræ pũcta nouena globum.
Donec ab hac trinas Phœbe obſcurata per horas,
Rurſus in oppoſiti lumine fratris erit.
Hanc quoque, Phyllirides Chiron quem ſuſtinet,
Conſpiciet cladem Falcifer orbe ſenex. (alto
Mars leget occiduus ſpacium decliuis Olympi,
Iunget & Aſtrææ tertia valua Iouem.
Sede ſatus Maia & certantes Veſper eadem,
Lucida ſtipabunt terga ſequendo ducis.
Hæc, Epicuri inſtar, nullo moderante relinqui
Quis putet, aut cæca non bene ſorte geri?
Nec vim ſidereis hæc inferiora tiendi
Corpora, diuerſam dicat ineſſe plagis?
Abſit, vt aſtrigeris quas nunc intendit in aruis,
Spernamus tetrico Numinis ore minas.
Nam qui ludibrio decreta potentia cæli

Excipit, hunc tandem debita pœna manet.
Sponſi Penelopes, quorum præſtrinxerat omnes
Et Liber ſenſus, & furibunda Venus:
Inſtantis tumidi ridebant præuia ſtragis
Prodigia, atque minas pallide Phœbe tuas
Iſte ſed extemplo in Sardoum riſus abiuit,
Sopiit & ſubitus gaudia fuſa dolor.
Namque ſuperueniens inopino milite Vlyſſes
Oppreſsit vino pondera muta procos.

Queis igitur commune malum, faciesq́; timendæ
Naturæ, atque omen flebile corda mouet:
Scrutentur viresq́; poli, & quid lumina terris
Bina peregrino viſa colore ferant.
Ipſa magiſtra docet rerum experientia, quantas
Portendant clades, quanta pericla creent.
Nam licèt eueniant nota ratione modoq́;
Attamen effectu non caruiſſe ſolent.
Annales euolue, habitus attende minaces
Siderum, & euentus collige, certus eris.

Hic quoque (ni prorſus fallunt prognoſtica) Lunæ
Portendit mundo triſtia fata labor.
Vretur ſiccis hinc inde caloribus aër,
Et tellus riguis deſtituetur aquis.
Fænore cum læto, lymphis exhauſta negabit
Optatas meſſes, ruris alumne, tibi.
Hinc precium annonæ frumenti intẽdet egeſtas,
Mor-

Mortaleſq́; fames pernicioſa premet.
Horrida funeſtum quatiet Bellona flagellum,
Atque feret multis prælia multa locis.
Crebra premet paſsim miſeros exactio ciues,
Vnde faces nocuæ ſeditionis erunt.

His ſat acerba feret ſuffragia, ſiue cometes,
Seu ſtella Arctoæ prodigioſa plagæ.
Haud illa euentus, ſimilem cùm viderit ætas
Nulla, leues orbi, paruaq́; damna dabit.
Armorum fera tempeſtas nos vndique cinget,
Feruebit rabidi Martis vbique furor.
Hinc proceres iuris prætextu aliena capeſſent,
Armabit cupidos ſæua Megæra duces.
Subdita defectum verſabit pectore turba,
Inſidias, cædes, ac meditata dolos.
Fataq́; principibus claris aduerſa parantur,
Auferet illuſtres mors truculenta viros.
Lethaliſq́; lues homines comprendet inermes,
Et cadet ante ſuum ſexus vterque diem.

Talia ſed quorſum velut impendentia rimor,
Deq́; ſecuturis auguror ipſe malis?
Nónne Deus pœnas cumulatas antè, ſeuerè
Exigit, intenſas perſequiturq́; minas?
Nónne ea, quæ dudum fabricarũt ſidera, noſtras
Ceruices miſerè dura pericla grauant?
Religio nebulis, vultum fœdata, profundis

Mergitur, atq; ſuam flet gemebūda vicem.
Flet gemebūda vicē: Te vindice, Chriſte, vocato,
Nititur è tenebris exeruiſſe caput.
Peſtiferum toto propè ſerpit in orbe venenum,
Præcipitiq; furit mors inopina gradu.
Contemptrix fideiq; datæ, diuûmq; hominumq;,
Vndique gens noſtras tentat Eoa plagas.
Vellicat aßiduo munita repagula niſu,
Et ſpirat fremitu regna propinqua fero.
Improba nec fallunt diram molimina gentem:
Reſpondent crebrò conſilio auſa ſuo.
Nunc impunè vagans excurſu diripit vrbes,
Milite nunc graſſans depopulatur agros:
Nunc (auida ſitiens ipſorum fauce cruorem)
Subdola Chriſticolis retia tendit atrox.

Nec dubium, quin hæc etiam exundare per orbē
Teutoniæ eluuies (Dij prohibete) queat.
Nā clauſtris tādem effractis, velut aggere rupto,
Hoſtibus acceſſus tutior eſſe poteſt.
Dum proceres crebris delaſſant curſibus apros,
Dum Baccho ſubeunt acria bella duce.
Aut immanē adigunt, ſtudia in contraria rapti,
In cognata aciem viſcera Marte truci.
Cadmæiq; velut per mutua vulnera fratres
Proſtrati, fluido membra cruore lauant.

Rumpe igitur ſegnem, Germania, rūpe veternū,
Nec

Nec lentam nectas vſque vel vſque moram.
Ecquid adhuc torpes? en ardent proxima tecta,
Ardent, atque anceps res nequit iſta trahi.
Quin animos, tandem experrecta, agè ſume viriles,
Sitq; tuis ab auis degenerare pudor.
Erue radices viciorum pectore tetras,
Virtutiſq; dehinc ſedula carpe viam.
Mitem poſce Deum ſupplex, precibuſq; fatiga,
Flectuntur precibus fata ſeuera piis.
Exue flagitiis animum: ſic triſte laborum
Excuties, quo iam preſſa gemiſcis onus.
Linque voluptates, damnoſas linque malorum
Illecebras, turpem deſidiamq; fuge.
Quòd ſi deſpecto pietatis tramite, telam
Securè ſcelerum continuare voles:
Incautos omnes nos ſæua (nec omina fallent)
Diuini peſſum Numinis ira dabit.
Ac, vt multa fidem faciunt portenta, fatiſcet
Mundus, ſeminibus diſſilietq; ſuis.
Vtq; ſuprema dies miſero nunc imminet orbi,
Sic ea fallaci nocte timenda venit:
Pendula qua tellus æſtu cœlumq; liqueſcet,
Machinaq; ornatu corruet alma ſuo.
Summe Deus, proprio qui dirigis omnia nutu,
Qui premis imperio cuncta creata tuo:
Aerumnas auerte graues, auerte pericla,
Plurima quæ noſtris ſunt metuenda plagis.
Improbitate tuam noſtra cumulauimus iram,

Ac homines æquo plectere iure potes:
Frange tamen decreta tui funeſta rigoris,
Quæ mortale nequit ſuſtinuiſſe genus.
Tu rege conſilia, ac vires in facta miniſtra,
Tu dextra hoſtiles verte potente dolos.
Te ſine præſidia oblanguent humana: ſed vno
Te rurſum ex votis auſpice cuncta cadunt.
Eoum noſtra regione repelle tyrannum,
Teutonicis arce bella cruenta locis.
Tranquilla da pace frui: da munera terris,
Peſtiferæq́; fuga ſemina dira luis.
Sic deuota, Deus, ſoli tibi gloria cedet,
Sic te noſtra pio carmine Muſa canet.

DE OBITV VXORIS HVGONIS BLOTII IC.

DVLCE, *maritali coniunctos fœdere, fœdus*
Connubij paribus votis ſtudiisq́; fouere,
Et vitam vnanimem ſeros producere in annos.
Triſte, maritali coniunctos fœdere, fœdus
Diſparibus ſtudiis, offenſas inter & iras
Deſtruere, & rixas ſeros nutrire per annos.
Dic, quínam vitæ importunior imminet hoſtis,
Quod telum, quæ res oculis infenſior obſtat,
Coniuge q̃ iungi quem quis cane peius & angue
Oderit, ac comitem indiuulſum viderit æui?
O vitam inuitam, inuiſam, plenamq́; dolorum.

Triſte

Triſte etiam, thalamum concordi iure tuentes,
Et iunctos animis, fatorum lege reſolui,
Ac præmaturo diſiungere pectora letho.
Ergo quis vxoris caſum neget, optime BLOTI,
Te lugere tuæ, quam conuenientia morum,
Mentis & ætatis, ſtudium obſequiumq́; iugale,
Mutuus & candor tibi conciliauit amicam?
Tecum ergo exclamem: Eheu dilectiſſima cõiux,
Inuida te rapuit, rapuit nimis inuida Parca:
O mihi ſi fato ſic indulgente ſuperſtes
Eſſes, hæc noſtri fuerit ſententia voti.
At quia ſic viſum ſuperis, resq́; illa potentis
Eſt Iouis: arbitrio tu dio cuncta relinques,
Teq́;, Deo ſic dante, modo ſolaberis ipſum.

AD IOANNEM AICHOLTZ MEDICVM.

ARTE *potens medica, feliciq́; inclyte dextra,*
Temporis Hippocrates, ô & Apollo tui:
Ad te confugio vix ſanus corpore ſano,
Quaq́; iuuas alios, hanc quoque ſector opem.
Infeſtat cerebrũ dudum mihi turbidus humor,
Et crebro mæſtos obiicit ille dies.
Crebro etiam rebus lætis genioq́; vacantem
Ad ſolitam horroris retrahit ille viam.
Quin ſtudiis etiã, quibus haud obſtare putatur,
Tractandis obſtat ſæpius ipſe meis.

Sed tu morborum domitor fortiſsime, quem non
Cauſſa mali vllius, nec medicina latet:
Fer, precor, æquus opẽ, quaq́; huic ratione, mone-
Ocyus occurram, qua ratione fugem. (to,
Verùm opus helleboro forti purgare cerebrum,
Namq́; tenax ſpiſſa (ceu puto) nube ſedet.
Sic mihi diuinum tribuiſſe videbere donum,
Et verè reddar viuidus arte tua.

AD DANIELEM HERMANNVM BORVSSVM, DE INSIGNIbus ipſius, & loco ἀπβατηρίϋ.

MVNIA *Cæſarib. tua ſunt perſpecta duobus*
Quorũ expreſſa ſtylo ſenſaq́; resq́; dabas.
Ingenium Phœbo meruit: nec te aulicus vnquam
Iſtius induxit linquere caſtra labor.
Atque licet rarò cum Phœbo conuenit aulæ,
Attamen & Phœbus fauit, & aula tibi.
Hinc duplici gaudes, ceu dudum dignus, honore:
Præmia Apollo dedit, præmia & aula dedit.
Namq́; tuũ nomen Phœbo duce claret, & amplus
Ingenij merito te decorauit honos.
CÆSAR *at officiis iam præmia reddidit æqua,*
Quando decora ſatis contulit arma tibi.
Inde repræſentant tua nobilitatis honorem
Arma, licèt caſsis clauſa ſit ore ſuo.

Nec

Nec ratione caret, quòd clauſa caſſide gaudes:
Arcana in clauſo pectore multa tegis.
Ipſe pedem Clypeus porrectum continet vrſi:
Diſcolor inde refert area iuncta Roſam,
Hinc galeæ incumbit fuluum diadema: ſed infrà
Pendula ſub galeæ margine gemma nitet.
Enſe armata manus, nuda at cubito tenus, vrſi
Transfigit plantas, quas gemina Ala tegit,
Barbariem calamo transfixti, barbara temnis
Pectora: Sic alis laus tua vecta volat.
Artis tam bello quàm pace requiritur vſus:
Id quod nuda manus, cuncta ſed enſe notat.
Vtere honore tuo, ac inſignibus vtere læto
Omine: fac creſcat fama decusq́; tibi.
Iam quando patriæ, vir clare, vocaris ad oram,
Atque hanc officiis deinde iuuare ſtudes:
Proſpera cuncta tibi Phœbus Muſæq́; precantur,
Optat amicorum proſpera cuncta cohors.
Ito, HERMANNE, *decus patriæ, & ſpes ampla tuorũ,*
Nomine creſce tuo, creſcito laude tua.

AD COLLIMANNVM EGRER, F. ET ROSINAM THVMſeckerin, Sponſos.

CVPIDINIS SORS LVSORIA.

ET *quisnã inuideat? Latũ mea iura per orbẽ,*
Iura patẽt mihi per cunctas liberrima gẽtes,

Quas mea ſub vexilla voco, caſtriſq́ merere
Hortor, & occultis paſſim dans vulnera telis,
Pertentanſq́ animos, flammæ veſtigia linquo,
Qua ſuccenſa parem ſuſpirant pectora amorem,
Inq́ tori ac vitæ ſocialia fœdera creſcunt.
Hic labor, hoc ſtudium, & noſtri ſententia voti.
Ac licèt exiſtant mea ſacra perennia, & vſque
Ponere gliſcentis primordia credar amoris:
Attamen elegi caſtis Dionyſia tædis,
Subq́ ea lætitiam genialem feſta reſeruo,
Vt nec deſit honos, nec publica gaudia, cuncti
Dum genio indulgent, & Bacchanalia viuunt.
Ludicra cumq́ ferat præſens ſpectacula tempus,
Ficta repræſentans paſſim ora, habitūq́ genuſq́,
Talorumq́ vagæ committens munera ſorti:
Hūc etiam morem ſectans (nam me auſpice tæda
Cœperunt: lætæ procedent me auſpice tædæ)
Velatuſq́ oculos, ſed nudus membra CVPIDO,
Hanc geminam vobis Sortē iam deſero, SPONSI:
En CONCHAM *Veneris: rutilans en* CORCVLVM *ab auro.*
Aut ego victor ero, & lucrabor Corcula veſtra:
Aut vos victores præſentia dona feretis.
Eia agite experiamur: ades Sponſe: elige ſortem:
(Hoc tamen ex oculis velum remouere licebit)
Cui prior occurret COVS, *ſors ceſſerit illi.*
Proſilit en Veneris iactus tibi. COE *faueto.*
Pro Coo Canis ecce mihi. Tibi Cous habetur.
Victor

Victor es, ô Sponſe: Accipito tibi CORCVLVM *amoris*
Aureum, & ex æquo Nuptæ impertire viciſsim:
Sit felix Sors iſta, torus per ſecula felix. (*venuſtã,*
Et iam SPONSA *tibi* CONCHAM *depono*
Sacratam Veneri matri: Sors, arbitra Conchæ,
Sit tibi dextra Venus: mihi Senio: prima recur-
Lucretur. Prius emergit tibi Senio: iactus (*rens*
Hic Veneris meus eſt. Tibi iã Venus ecce reſultat.
Aſtragali fauere, Venus tibi proſpera fauit:
Viciſti: Capias hanc noſtro munere Concham.
(*Alueolisq́ ſuis ceu Concha tenaciter hæret,*
Nec ſonitu ingrato ſeu vocibus obſtrepit vlli:
Sic decori haud paruo ducat ſibi fœmina, fidam
Eſſe domus cuſtodem, & linguam ſubdere freno)
Ludite iam SPONSI, *& Sortẽ tentate iugalem:*
CORCVLA *amore pari,* CONCHIS *veſtra oſcula certent:*
Sic vitæ conſtans amor & concordia præſit:
Sit felix Sors veſtra, torus per ſecula felix.

PROPEMPTICON AD IOANNEM PHILIPPVM Kornbergerum.

ERGO *animo viſum eſt, anni florente iuuẽta,*
Carpere propoſitã, care PHILIPPE, *viã?*
Aſſuetosq́ lubet iam deſeruiſſe penates,
Hic vbi vicinos irrigat Albis agros?

Vere nouo, quo cuncta ſuum reparare vigorem
Incipiunt, terris quem fera preßit hyems:
Cùm reſoluta ſinu iactat ſua munera paßim
Tellus, & varias parturit vber opes.
Cùm ſimul oſtentant hybernis dona diebus
Abdita frugifero germina cuncta ſolo.
Scilicet vt mater variis hæc rebus abundat,
Atque penus inſtar munera larga fouet:
At concreta tamen glacialis frigore brumæ,
Condita viſceribus reddere neſcit ea:
Sed veris redeunte noui placidiq́; fauore,
Conſtrictos laxat deinde recluſa poros:
Prouentuq́; hominum vitam beat vbere rerum,
Theſauros fundens diuite meſſe ſuos:
Sic, cùm Pieridum ſtudio curaq́; Dearum
Rite frequentaris, docte PHILIPPE, *ſacra:*
Ampla ſegesq́; animo virtutum pullulet alto,
Et mores referat vita modeſta bonos:
Has dotes, modò ſincera ceu mente ſepultas,
Languenti quamuis non iacuere ſitu:
Stirpe tamen claris poſthac coniunctus amicis,
Exerere, egregia non ſine laude vales.
Sic amplam, dudum quam concepere, replebis
Spem, gratusq́; tuis gaudia grata dabis.
Macte animo, propriaq́; tua virtute paterno
Adde alacer generi, pulcrius adde decus.
Fac idem patris veſtigia tuta ſequaris,
Ante alios celebri qui grauitate viget.

Inge-

Ingeniiq́ bonis quondam felicibus auctus,
Tollere præclarum nomen ad aſtra ſtude.
Vade igitur, propriosq́ lares appellito ſoſpes,
Et fruere amplexu liberiore patris.
Aſpirent blandum Zephyri tibi mitibus auris,
Phœbæam celent nubila nulla facem.
Siq́ per ambages & teſqua iter aſpera ducat,
Auertant humeris fata pericla tuis.
Iamq́ vale, dum conſpectu iungamur eodem,
Vince ſenis Pylij ſecula longa, VALE.

EPICEDION CONRADI ZOLLERI A SPECKSWINCKEL.

CVM *vitam clauſit, qui dicere iura ſolebat,*
Quo Prætore fuit patria nixa diu:
Zolleram gens Catta ſuum, gens extera, & ipſa
Aſtræa inſolito queſta dolore fuit,
Hinc aliquis: Fatum, dixit, cõmune ferẽdum eſt,
Fati etenim cunctos iusq́ diesq́ manet.
At bene qui fatum expleuit, minus ille dolendus,
Cuius poſt mortem fama decusq́ viget.
Ad lethum Zoller communi ſorte vocatur:
Qua moritur, paucis hac datur arte mori.
Viuit enim laus & meritorum fama perennis,
Viuit adhuc tali digna propago patre:
Quæ patriæ exiſtens hæres virtutis & artis,
Et virtute pari creſcit & arte pari.

CONCHA PONTICA, HVGONI BLOTIO IC. ET SPONSÆ ipſius miſſa Conſtantinopoli.

MVNVS *Amurathis mittendum rebar ab vrbe,*
Conueniẽsq́; loco, cõueniensq́; toro.
Quæ Ponto creuit, thalamo quæ congruit aptè.
Quamq́; modo potui mittere, CONCHA *fuit.*
Concha per Oceanum multo producitur ortu:
Non tamen & virtus omnibus vna ſubeſt.
Nobilior Bloti, tibi Sponſe, eſt debita Concha,
Nobilior Sponſæ debita Concha tuæ.
Hãc ergo vnanimi capiatis pectore CONCHAM,
Quæ Veneri ſacra eſt, quæ Veneremq́; tulit.
Et tu Spõſe tuã promptè cõplectere CONCHAM,
Ac Cypriæ auſpiciis hanc tibi crede datam.
Et tu Sponſa tui lectiſſima CONCHA *mariti*
Naturam Conchæ moribus apta refer.
Fida domus cuſtos, augendis dedita rebus,
Rite tacere ſciens, obſequioſa viro.
Ludite, certatim figentes æmula Conchis
Oſcula, & vnitis iungite labra labris:
Vnde ſuum luſum fruges optata ſequatur,
Et gemmas partu CONCHA *decora ferat:*
Nempe toro ſobolem, virtuti & honoribus aptã,
Spem generis, requiem, deliciasq́; patris:
Sponſe tua felix cùm CONCHA *viue: perennes*
CONCHA *tibi gemmas deliciasq́; ferat.*

IN

IN PHILOTHECAM SVAM.

THESAVROS *alij gemmis cumulare labo-*
Oceanus quas gignit Eous: (rant,
Congeſtis alij nummis: alij eruta priſcis
Temporibus monimenta requirunt.
Condere amicorum fucata fronte carentum
Theſaurum, potius mihi votum.
Tales ſeu ſtudiis ſeu conſuetudine iunctos,
Præſens inuitat Philotheca: (bum,
Vt referant promptè noſtrum ſua nomina in al-
Pignus amicitiæ valituræ.
Vos quoque qui titulis aut clara ſtirpe vigetis,
Patroni mihi iure colendi:
Quæſo meum rigida ne ſpernite fronte libellum,
Sed date nomina, ſymbola, dicta.
Debita ſic vobis reddetur gratia, prompti
Officijq́; vices referentur.

FINIS CARMINVM.

HENRICI PORSII IC. EPIGRAMMATVM, LIBER I.

AD MAGNIFICVM HELFRICHVM GVT, &c. S.C. MAIEST. CONſiliarium præcipuum.

LVx, Helfriche, tui generis, decor inclytus aulæ
Cæſareæ, Muſis præſidiumq; ſacris:
Accipe, quæ noſtrę donant Epigrammata Muſæ,
Illaq; pacato, ſi vacat, ore legas.
Inuenies lectu fortè haud indigna futura,
Curarum quæ te parte leuare queant.
Pro meritis maiora quidem (quæ magna clienti
Obuenere tuo) dona ferenda forent:
Nulla tamen mihi ſunt præter chartacea dona,
Quæ tibi vel magni muneris inſtar habe.
Hîc etiam decuit ſolidum tibi pangere carmen,
Ac laudes graphicè commemorare tuas.
Sed vix ipſe parem me tantis ſentio cœptis,
Nec ſatis attinget noſtra Camœna ſcopum.
Cumq; tuæ exiſtant maiores carmine laudes,
Hæc ſit pro iuſto pagina parua libro.

M. V.

addictiſs.

Henr. Porſius IC.

HENRI-

HENRICI
PORSII IC. EPIGRAMMATVM, LIBER I.

DE IMPERATRICE MARIA, PATAVIVM ADueniente.

VTRVM *Auguſta foret numero cenſenda Dearum,*
Inter erat Muſas quæſtio mota leuis:
Cùm prior Vranie: Si virtus, inquit, opesq́;
Formaq́; nuda Deas fecit: & illa Dea eſt.
Iunonem ſtirps clara Deam celebrauit, opesq́;:
Quæ par Auguſtæ ſtirpe opibusq́; venit?
Forma Deam Venerē fecit, morumq́; venuſtas:
Illa quoque his meruit dignior eſſe Dea.
Effecit Diuam ſapientia ſacra Mineruam:
Hac Auguſta ſimul laude vehenda foret.
Effecit Diuas pietas, ac numinis ardor:
Scilicet hoc potiùs Diua futura modo.

Dicta probant omnes, omnes vno ore loquuntur,
Auſaq́ diuerſum dicere nulla fuit.

Aliud.

Tot iam continuè ſoles fulſere ſereni,
Cur Phœbum celat nubila tota dies?
Auguſtæ cedit Phœbus, quò clarior vrbem
Ingrediens lucem præbeat ipſa ſuam.

Aliud.

Nocte ſub inſtanti veniens Auguſta, quòd vrbis
Ingreſſum differt ſerius ipſa ſuum:
Non grādem pompā, nec amat ſpectacula tanta,
Pectus habens faſtus prorſus inane leuis.
Et tamē ingrediens vmbra Dea diſcutit vmbrā,
Ac lucem tenebris ingerit ipſa ſimul.

AD IOANNEM BAPTISTAM WEBERVM, &c.

Μοιρόσροφον.

DIXERAT *Aſtrologus, cœlum mihi dicere honorem,*
Quem tamen hic annus fortè negare queat.
Quis ſit honor, dubito: dubitantem ſubmonet in-
Tempus, & euentū iam docet aſtra ſequi. (ſtās
Non cadet euentus: Quid ſi quis fortior aſtris
Decreta infringat debiliora poli?
Non edicta ſonat nobis prætoria cœlum,
Inclinare hominem, non rapere aſtra ferunt.

Per-

Per te noſtra valent aut fallunt fata: Sed illis
Fortior, emeritus fac mihi cedat honos.
Dicet fortè aliquis: Non hoc indignus honore eſt,
Quem decorant Muſæ carmine, laude boni.
Ergo notam turpis, vir magne, auerte repulſæ,
Et, quod fata negant, tu mihi redde decus.
Sic te pro meritis vel numinis inſtar habebo,
Qui flectas homines, flectere & aſtra queas.

AD SIGISMVNDVM VIEHEVSERVM PROCANCELLARIUM, &c. ὀνοματίνικον.

FORTE *Weberiades tractauerat Aegida noſtrã,*
Impreſſasq́; notas intuiturus erat:
Cùm diſtenta trahit prolixam pagina rimam,
Et viſa eſt titulum ſcindere rima tuum.
Cur rumpis titulos incauta, ſed inuida rima?
An quia iam titulus ſit minor iſte viro?
An quia tot dotes ſtricto comprendere verſu,
Ac vno volui claudere faſce ſimul?
Inſpexi: titulos rimæ peruaſit hiatus,
Et monuit, factum non ſatis eſſe tibi.
Cur tantas dotes anguſtis claudo tabellis?
Háſne gerat nigris illita charta notis?
Non claudi hæ ſpaciis poſſunt, nõ munere linguæ
Efferri, non has parua tabella capit.
Ergo ὀνοματόνικον *fas te, Sigmunde, vocari,*
Nam titulis maior laudeq́; maior inis.

AD NVPTIAS ELIÆ CORVINI IC. ET POETÆ: S.C.M. Conſiliarij.

AVDIIT *igne ſuum tenero flagrare Poëtam*
Phœbus, & ardori ſuccubuiſſe nouo:
Cùm tali aggreditur puerum Cythereïdos ore,
Gaudentem cupidas vſque mouere faces:
Parue puer, regno noſtro puer inuide, vires
Quorſum in Vate tuas exeruiſſe iuuat? (ergo
Hic meus eſt, & in hoc mea ſunt mihi iura: quid
Mittere nunc geſtis ſub tua caſtra meum?
Iſtis fige tuis merituros ſponte ſagittis,
Hoc tibi ius conſtet: ius mihi linque meum.
Riſit Amor blandum, pharetraq́; in terga reiecta,
Hos Phœbo facili reddidit ore ſonos:
Ne prætende meis vim cœptis, Phœbe: calores
Sentiat vſque licèt, ſit tamen ille tuus.
Vtq́; ſcias: æſtus tacitos inſpiro medullis
Huius, & inſueto fomite pectus ago:
Cœlibis vt vitæ pertæſus vincula lecti
Induat, ac nuptæ flagret amore nouæ:
Vtatur conſorte tori, conſorte laborum,
Pulcraq́; connubij munera ſpemq́; ferat:
Vt dulces ſurgant nati, in quibus extet imago,
In q́; futura patris ſecula perſtet honos.
Aſſenſit Phœbus, Clariæ aſſenſere ſorores,
Riſerunt Charites, riſit & ipſa Venus.

Tunc

Tunc ego: Concordes vos ite in mutua vota,
Annuite ac Sponſis Phœbe Venusq́ nouis.
Plura ſed in thalamum meditātis promere vota,
Propoſitum Phœbus corrigit hiſce meum.
Túne, vel inuitis Muſis, huic carmina panges,
Qui ſolus Muſas, carmina ſolus habet?

IN EFFIGIEM MVRATHIS III. TVRCARVM IMperatoris

NON *oris tibi torua, nec eſt truculētia morū,*
Nec tua ſæuitiam facta referre ſolent.
Attamen ad meritas reuocas quoque crimina (pœnas,
Curaq́ iuſtitiæ fertur ineſſe tibi.
Vis te plus laudem? Non te crudelia coràm
Martis, ſed Veneris mitia bella iuuant.
Penè oblitus e[illegible]i generoſum dicere temet,
Augendi generis nam tibi feruet amor.

DE BAPTISMO GRÆCORVM, ET CIRCVMCISIONE Turcorum.

AD WENCESLAVM BVDOWITZ à Budowa.

QVOD *plerique ſolent ſacrato fonte lauandi,*
Firmato Græci templa ſubire gradu:
Forſitan ille (ſacrum ſi fas conferre profano)
Mos à Turcorum more receptus erit.

Namq; iſtis etiam propè par attenditur ætas,
Quæ Mahometanis inſerit hoſce ſacris.
Tunc cũ pompa equites obeunt ſtrepituq; tubarũ,
Signatoq; volunt penè placere Deo.

CONFESSIO TVRCORVM.

EST *Deus, isq; vnus: Mahometes nuncius huius:*
Verus, item ſolus nempe propheta Deus.

MONACHI TVRCORVM.

NE *ſua ſacra parum Turcis cordi eſſe putẽtur,*
Sitq; palàm fidei Zelus amorq; ſuæ:
Sunt qui ſe macerent vltro, qui cætera nudi
Membra, modo pubem pelle tegantur ouis,
Quiq; dolore ſecent ſuppreſſo pectora ſponte
Vſtaq; temporibus ſtigmata rubra gerant.
Sunt qui lymphatis ſimiles raptisq; furore
Horrendùm clament voce ſonante Deum.
Quiq; paciſcentes violenti vota pudoris,
Iniiciant pubi ferrea vincla ſuæ.
Sunt alij, criſtas qui rupta fronte, vel aluo
Vexilla infigant, Regis amore ſui.
O fatui, fatui, qui cum ratione putatis
Naturaq; ſimul bella ciere decus!

DE INGRESSV MVRATHIS IN VRBEM, IN GRATIAM Legati Perſici inſtituto, 4. Auguſti, anno 80.

AD

RVPERTVM A STOTZINGEN, S.C.M. Conſil.&Maximiliani Archiducis Auſtriæ ſupremum Curiæ Præfectum,&c.

QVA *nūc ingrederis, tota ſpectādus ab vrbe,*
Spectādus Perſis, maxima pōpa tua eſt.
Non tamen, vt præfers, ſolita comitatus ab aula,
Venatu tanta gente redire ſoles.
Exortes aulæ vicinia tota coëgit,
Acceſſu pompam condecorare tuam.
Nec ſat erat, peditum numeroſis ire cateruis,
Totq́ equitum turmis more decente gradi:
Ni de Chriſticolis captis in Pannone terra
Dure triūmphâris, compulerisq́ ſequi.
Sed tu de paucis: ter iam centena triumphant
Chriſtiadum, æquorea libera facta fuga:
Qui te nūc ſtolidum rident, pompaq́ relinquūt:
Ito, triumphales ſic age ſæpe dies.

IN MVRATEM PARRICIDAM.

AD

MATTHIAM CASTRITIVM IC.

MITE *tibi pectus tribuūt, exemplaq́ dicunt*
Maiorum exemplis te mare ſæua minùs.

Sed qui ſub regni ſubitò primordia quinque
Suſtuleris fratres, mitis habendus eris?
Turcus ad hæc aliquis: Deus eſt, quem credimus, vnus,
Et Rex qui nobis imperet, vnus erit.

AD NICOLAVM REVSNERVM IC. ET POETAM, Com. Palat, &c.

AVDIIT *arte ſacras Reuſnerum pandere leges,*
Et penetraſſe fori myſtica iura, THEMIS:
Audiit & Pallas, doctos hunc pangere verſus,
Et ſtudio ſummis Vatibus eſſe parem.
Lis agitata Deas inter, ſine iudice pendet:
Illa ſuum dicit, dicit & iſta ſuum.
Cùm Phœbus: Tu Pallas, ait, prognata Themiſte,
REVSNERO *es mater, mater & ipſa Themis.*
Hinc ego, vota probans: Nempe eſt excellere in arte
Alterutra magnũ, maius vtraq; decus.

AD FRANCISCVM HIPPOLYTI HILDENSHEIM, MEDICVM & Poëtam, in Italiam abeuntem.

NOSTER *amor verſus à me, Frãciſce, req̃rit,*
In verſu videor nil niſi verba dare.

Pro

Pro verbis animum, pro verſu porrigo dextram:
Proq́ tua quæuis vota ſalute fero.

MVNDICIÆ TVRCORVM.

Ad Ioannem Fvldivm, cognatum ſuum, &c.

VNde *foret vobis tantæ præſtantia formæ,*
(Therſitæ fratres) res mihi mira fuit.
Sed thermis crebrò vos tonſtrinisq́ vacare
Experto, res hæc non mage mira fuit.
Inſuper oratum ſubituri templa, lauatis
Antè pedes teneros, antè pudenda, manus:
Deuotoq́ preces profertis pectore, dantes
Corporibus flexis oſcula crebra ſolo.
Heu malè deuoti: quin altera quærite ſacra,
Et verum vera relligione Deum.

IEIVNIA.

Ad Ioannem Ziegelivm, S.C.M. à ſecretis in Camera Aulica.

MEnstrva *ſolenni peragunt ieiunia more,*
Hancq́ ſuæ partem relligionis habent.
Namq́ hybernæ nouum cùm Luna perambulat orbem,
Tota luce ſolent abſtinuiſſe cibo.
Nocte ſed vbertim indulgent geniòq́, cibisq́:
O duram ſortem, tædia dura famis.

VINVM INTERDICTVM.

AD

WIGANDVM FAVRBACK, &c.

INTERDICTVS *apud Turcos eſt vſus Iachi,*
Pœnaq́ſtat, pedibus verbera fuſte dari.
Cur tamen ebrietas nec Turcis rara videtur?
Cur ſimul hi potant, cur titubantq́ viis?
Aulica liberior turba eſt & libera cunctis
Dulcia vina magis ſunt, & aduſta ſimul.
Ceu non iſta forent quoque vina, ac talia vina,
Quæ fatuos reddant quæ ſtupidosq́ magis.

HENRI-

HENRICI PORSII IC. EPIGRAMMATVM, LIBER II.

DAVID VNGNAD, L.B. ORATOR CÆSARIS IN CVRIA OTTOMANNICA.

D vm *Thracvm pop* Vlos *Evxinaq́ꝫ* L*ittora cern*O,
A c *Byzantina* N*uncius vrbe moro* R:
V*nius eſt ſpaciũ* L*uſtri, hinc re*G*ione relict* A
I *ulius in patrio* N*os iterum orbe loca* T.
D*ecurſo viguit p* A*x Iſtro, paxq́ꝫ Tibiſc* O
T*empore, ſudauit* . D*um meus iſte labo* R.

CVR MVLIERES TVRCICÆ VELATA FACIE IN PVBLICO ambulent.

AD

BARTHOLEMÆVM PEZZEN IC. Cæſaris Secretarium in aula Ottoman.

FOEMINA *cur vultũ velamine Turcica cælet,*
Quærenti propior cauſſa reperta mihi eſt.
Ore pudor gaudet, ſedesq́ pudoris amica
Eſt facies: hominis noſcitur ore pudor.
Cuncta ſed obducta quis fronte licentiùs audet,
Et ceſſant: nefas omne pudore leue eſt.
Haud ſecus, ora tegens exterminat illa pudorem:
Plurima ſic fallax crimina larua tegit.
Hinc mulier quocunque lubet, velata vagatur,
Quærit & illicito, quo calet, igne frui.

DE MORTE MEHEMETIS, BASSÆ SVPREMI, QVI IN FREquentia multorum à mendico quodam miſerabiliter confoſſus eſt 10. Octob. anni 79.

VIs, *harpus, reſtis, ſpoliatio, furca, venenum,*
Exilium, carcer, vitaq́ prolis inops:
Hæc Mahometicolûm merces plerunq; Tyrannus
Quos leuat, aut magni muneris ambit honos.

MVSTA-

MVSTAFÆ BASSÆ, E BELLO PERSICO REDVCI.

PARTA tibi quōdam ſæuo eſt victoria Marte:
Conatus Perſæ iam retudere tuos.
Bis tibi ſtructa necis violentia, Rege iubente:
Bis auerſa tua calliditate fuit.
Sed cùm ſæuitiam maneat ſua pœna nefandam,
Ne recidiua necis te premat hora, caue.

IN SINAM BASSAM, DVCEM BELLI, CONTRA PERSAS ET Iberos ſiue Georgianos.

ANTE tumes faſtu, cùm ſint victricia quon-
Vrbibus edomitis ſigna r[illegible] dam
Iam quia fortunæ [illegible] ti turgidus aura,
Cum faſtu [illegible] ſtam ducis ad arma manum:
Dÿ faxint, faſtus cadat & manus improba. Ibe-
Inſultet victis ne tamen illa prius. (ris

EPICEDIVM AHMATIS; BASSÆ SVPREMI, QVI POSTRIDIE, cùm Sinam diſceſſiſſet, obiit, 26. April. 80.

AD IOANNEM SAMBVCVM CÆS. Conſil. & Hiſtoricum.

BOSPHORON Albanus Sinam traiece-
rat arctum,

Plurima quem cinxit claſſe ſecuta cohors:
Protinus Ahmates comes ipſe futurus amici,
Et moribundus, Eum naue ſequamur, ait,
Naue ſequamur, & hūc pompæ iungamus hono-
Trāſitus hic morbi fortè leuamen erit. (rem,
Audiit iſta Charon: Nobis hîc præda paratur,
O ſocij: ripæ (dixit) adeſte citi.
Hoſpitis aduentum cœtu ſeruate frequenti,
Quem mox aduectum noſtra carina feret.
Dixit, & impoſitum celeritate tranſuehit: ille
Se ratus ire mari, nauigat amne Stygis.
Hoſpite læta nouo domus hunc Plutonia plauſu
Excipit, & fratrum ſede nigrante locat.

CVR SACERDOTES MAHOMETANI AMPLIORES LINtiaras geſtent.

AD

PHILIPPVM LONICERVM.

GESTAT *clericus ordo denſiores,*
Et limbo grauiore conglobatas,
(Frontis propria vela) lintiaras:
Queis hæc commoditas ſubeſt: quòd iſto
Preſſis pondere frontis, expeditum
His & pronius eſt iter ſub Orcum.

IN MORTEM MVFTI, PAPÆ TVRCORVM.

AD

GERHARDVM WALDENbergerum.

QVI *Mahometicolæ doctor ſummusq́; ſacerdos*
Relligionis erat:
Ipſe ſibi cœlum, ſi vita relinqueret artus,
Pollicitus fuerat.
Morte vocante miſer dum ſurſum tendere tendit,
In Stygis antra ruit.
Heu, clamat, lino grauis ac denſata tiara
Hæc mihi cauſa mali,
Hæc depreſſit. Et hinc atq; hinc longe ordine fratres
Vidit, & ingemuit.

TRIA IN TVRCIA SVMPTVOSA.

AD

IOANNEM PORSIVM, agnatum.

BALNEA, *templa, vagis ac tecta patētia paſſim*
Hoſpitibus, poni ſplendiora ſolent.
Cætera priuatos ciues capientia tecta
Nil luxus referunt, vilia & alta minus.

Fœmina equitans.

Quæ vectaris equo laruata fronte virago,
Et tua diducis crura in vtrunque latus:

Ne fortaſſe tibi noceat diſtenſio talis,
Néve trahat rimam rima pudenda, caue.

TRES TVRCORVM DELICIÆ.

AD DAVIDEM LVCANVM IC.

SVNT *tria, quæ Turci miro venantur amore,*
Fœmina, veſtis, equus, ſingula pulcra tamen.
Non his cura gulæ tanti eſt, non fercula tanti,
Dum, quod opus, modico paſcere corpus amãt.

TVRCVS ΩΡΟΛΟΓΟΣ.

AD LAVRENTIVM NIERENBERGERVM IC. Secretarium Cæſ.

AEREA *quos vſus alibi campana miniſtrat,*
De turri clamans hos dare Turcus ſolet.
Illa dato ſigno tempus diſtinguit & horas,
Horarum ſolitas edit & iſte notas.
Illa vocat ſignis homines ad ſacra preceſq;
Hic pariter Turcos ad ſua ſacra vocat:
Voce tamẽ tremula, abrupta, ſtreperaq; moleſtus.
Agreſtis qualem reddere Faunus amat.
Illaq; ceu rigido dependens fune tenetur,
Sit quoque campana hæc pendula fune velim.

IN

IN OBITVM MVSTAFÆ BASSÆ.

AD

HIERONYMVM PANKL. S. C. M. à Secretis in Camera Aulica.

SÆVA *Cyprum capiens patraſti perfide facta,*
Sæua fuere iterum fata luenda tibi.
Bina parata tibi vitaſti: tertia tandem
Sera, ſed ſubita iam luis ipſe nece:
Quam tibi (ceu fama eſt) aut deſperate vocaſti,
Aut ea perfidiæ vindice miſſa Deo eſt.
Quæ feſtiua tulit legatum ad mœnia Perſam,
Morbi prima dies extitit illa tibi.
Proxima quæ Regem cum pompa vidit euntem,
Vitæ ſumma dies extitit illa tibi.

IN EFFIGIEM ET INSIGNIA AMBROSII SCHMEISSERI, Secretarij Cæſ. in aula Ottomann.

QVI *vetus hîc hoſpes Byzâtia mœnia ſpectas,*
Et ſecreta tui Cæſaris acta notas:
Te ſignat pictura: tuo prudentia vultu,
Et candor mixta cum grauitate nitet.
Accedunt laudum teſtes, Inſignia, muti,
Quæ virtute tua parta fideq́; geris.

Pro ſæuo es mitis, pro percuſſore quietus:
Claua tamen placida temperat arma toga.

AD IOANNEM FERNBERGER IN EGENBERG, &c. ET PHILIPPVM HANNIWALD AB Eckersdorf, &c. Veredarios ad Romanum Imp.

CVRRENDI *durus labor eſt: via longa laborē*
Auget: ad hæc calido Sirius igne furit.
Et tamen iniuncti vos curæ muneris vrgent,
Sit labor hic durus, ſit via longa licèt.
Perdurate: grauem patientia firma laborem
Vincat, & adiuncta ſedulitate fides.
Sic Deus incolumes ducat vos atque reducat,
Et clementer onus mitiget omne viæ.

ΔΙΔΥΜΟΤΟΚΟΣ IN PARTV DEFVNCTA.

PARCA *ſubit partum: matrem fugit aura, ge-*
Afflat, fatū vni, vita duobus adeſt. (mellos
Vita datur pro morte, duo pro ſimplice fœtus:
Sic fœtus fœnus funeris huius erunt.

AD BLASIVM KIRCHMARIVM, &c.

CARMINA *cùm ludas, quæ Phœbus lude-*
ret ipſe,

Et

Et moueas blandos voce manuq́ ſonos:
Quis dubitet Phœbum cū diuite carmina vena,
Cum citharaq́ artem contribuiſſe tibi?
Demamus Phœbo hæc: & erit qui corpora morbis
Fracta, manu medica reſtituiſſe queat.
Hæc tibi demantur: Sed te Themis optima Iuris
Ipſa ſacerdotem iuſtitiæq́ vocet.
Sic vos arte pari, aut numero certatis eodem:
Tu Vates, Vatum ſed pater ille tamen.

BEGLERBEGO GRÆCIÆ.

DVM *te magnifica pompa ſpectamus eūtem,*
Fluxaq́ ſigna volant:
Quamuis Pannoniæ populis infeſtior inſtas,
Tecta petens Sophiæ:
Vota tamen damus hæc, ſubeas vt rura petita
Bulgaricosq́ lares.
Verùm aut illa tui ſit curſus vltima meta,
Pergere ne valeas:
Aut ſi barbarico confiſus milite, fines
Pannoniæ ingrederis:
Dÿ faciant, aditu vt ſub primo tuq́ tuiq́
Marte cadant domiti.

AD PAVLVM MELISSVM SCHEDIVM POETAM.

NVPER *vt vmbrifero Parnaſi in colle morā-*
Captabant Clariæ mutua dicta Deæ: (tes

Atque ſuos ſolito cenſebant more poëtas,
Quos celebres ætas noſtra priorq́ue tulit:
Præ reliquis potior ſuſceperat ordo Meliſſum,
Et leuis eſt inter lis agitata Deas.
Claſſe receptabat ſub prima quæq́ue Meliſſum:
Quæſtio de ſol[illegible]omine mota fuit.
Hæc ait, à Can[illegible] nomen fluxiſſe: Μελίσειν
Graiorum ſiquidem vox, Canere, ore ſonat.
Illa, Ape deductum, qualem vox ipſa Μέλισσα
Denotat: (vnde illi mellea vena fluat)
At Phœbus viſo certamine fortè ſororum,
Arbiter in medio, talia fatus, adeſt:
Quæ dubium mouit, fas hanc componere litem:
Diſſona verba volant, res tamen vna manet.
Seu Cantum, ſeu ſignet Apem vox, nónne Meliſſus
Mellea mellitus metra Poëta canit?
Vos ita: ſed propiùs rimans cognomina, fato
Indita, ſic Vati congruere iſta reor.
Quòd natura viro fœcũdam in carmina venam
Cõtulit: hinc SCHEDII *nomẽ & omen habet.*
Quodq́ue adhibet limam, mellitaq́ue carmina cõdit,
Inde Meliſſëum nomen, ab arte, gerit.
Sic natus Schedius, ſed factus ab arte Meliſſus,
Natura vates & ſimul arte valet.

MARTINO ROLANDO
MEDICO.

C*OVS es arte, manu Pæon, linguaq́ue Galenus*
Quis certat ſimili laude Rolande tibi?

SOLO-

SOLOMONI SWEIGKERO.

SEV *tibi ſorte datum, ſeu geſtas nomen auorũ,*
Suueigeri appoſitum nomen, & omen habes.
Quæ reticenda, taces prudens: [illegible] multa palati
Garrulitas, nec ſunt friuola verba tui.
Quæ dicenda, palàm dicis grauitate venuſta,
Nec fucum ficto ſermo ſub ore refert:
Id quod diuini referens oracula verbi,
Eloquij prompta dexteritate doces.
Temperet interdum laudata ſilentia ſermo,
Eſt reticere, decus, dicere & apta, decus.

IMAGINVM AB EODEM AVTORE PICTARVM, ROGOque damnatarum querela.

ARTE *videbamur iam viuere: dextera vitã*
Vna dedit nobis, & dedit vna rogum.
Siccine te poteras hac, autor, paſcere flamma,
Vt quia tu dederas eſſe, perire dares?
Si reprobas artem, ſtudium ſi deſeris artis,
Quo licuit ſobolem perdere iure tuam?
Nónne fuit nobis ſatius latitaſſe ſub vmbris,
Et nunquam pictis emicuiſſe notis?
Illa tamen reſtat ſpes, ſchemata noſtra cremata
Autoris dextra mox rediuiua fore.

REGVLA DIGNOSCENDI AMICOS.

SIVE via iunctum, ſiue in diſcrimine, amicum
Alterutro, ſi vis noſcere, noſce modo.

IN PASSEREM QVENDAM.

PASSER, auis laſciua, ſalax: quis quæſo ſalacẽ
Laſciuumq́; pari te neget eſſe nota?
Illa feris ſyluis atque arbore gaudet agreſti:
Ruricolûm mores Faunus agreſtis amas.
Illa cadaueribus ſe ſpurcis paſcere gaudet:
Spurca tibi nimiùm verbaq́; resq́; placent.
Illa inhians furto, furtiua paſcitur eſca:
Tu priuare ſuo quæris honore bonos.
Illa nec aucupio, nec quæritur vtilis eſcæ:
Fruge carens, fruges perdere, Paſſer, amas.

NEMO ODIT ARTEM NISI IGNARVS.

INSCIVS artis erit, qui veram ſpreuerit artẽ
Nã quæ nota minùs, ſunt quoq; grata minùs.

AD AMICVM.

FICTVS abeſt veris, vt noſti, fucus amicis,
Et fallacis abeſt ſuſpicionis amor.

Virus amicitiæ peſtiſq́ nocentior eſſe
Nulla, venenoſa ſuſpicione, poteſt.
Ipſa ſimul proprij fontis, quo profluit, index
Et nota fucati pectoris eſſe ſolet.
Non hac, crede mihi, ratione probantur amici,
Hac ſi me tentas arte, valebit amor.

DANIELI HERMANNO Borysso.

EN, *Hermāne, tuo reddo pro munere munus,*
Quamuis diſsimiles præſtat vtrūq́ vices.
Namq́ tuum ſolido carmen ſtat pondere nixum:
In numeris nec dum viuit Apollo meis.
At iciuna bonis pro metris metra reponens,
Nonne canente loquax anſer olore ſtrepo?
Hæc tamē vt facerem, magnus perſuaſit Apollo,
Quo duce tu vates, quem ſequor ipſe ducem.

AD RAIMVNDVM PIVM Fichardvm IC.

Ioan.F.

VIvit *enim laus & meritorum fama perennis,*
Viuit adhuc tali digna propago patre:
Quæ patriæ exiſtens hæres virtutis & artis,
Et virtute pari creſcit, & arte pari.

DE INSIGNIBVS ÆGIDII GATTERMAIR, CÆS. CONSIL. & quæſtoris militaris.

QVID *patulo ore ſibi, quid vult diademate* CASSIS
Inſignis? nempe eſt Nobilitatis honos.
Terna quid areolis ROSA *vult depicta duabus?*
Virtutis præfert floſculus ille notam.
Namque velut ſuauem latè roſa ſpirat odorem,
Nobilior reliquis floribus ipſa ſimul:
Sic virtutis odor præ rebus amabilis ipſe
Eſt reliquis, dignus quem ſimul ambit honos.
Directæq́; TRABES *quid ſignant? Pectore virtus*
Conſtanti, baſi ſtat ſolidaq́; ſuper.
Nec rapidos ſubit ipſa rogos, aut flumine merſa
Lethæo, obſcuræ repere nouit humi:
Sed vibrata ſuis terra ſublimior ALIS
Extat, & hoc cælum remige nixa petit.

AD INSIGNIA CHRISTOPHORI RAVHENPERGERI.

ARMA *repræſentant hæc nobilitatis honorẽ,*
Arma meis quondam geſta decenter auis.
Occupat aurato clypeum cum torque Moloſſus,
Fidus hero, infeſtus furibus, hoſtis apris.

HIERO-

HIERONYMO ARCONATO POETÆ.

NVPER vbi Cynthi ſuperato culmine terrā
Et cunas Phœbi contuiturus eram:
Deſertam Delon, deſertaq́ culmina Cynthi
Miror, & vbertim marmora ſtrata ſolo.
Hæccine terra tibi natalem præbuit ortum?
Hæccine plena tuo numine, Phœbe, fuit?
Hîc populis olim proferre oracla ſolebas,
Cumq́ ſorore leues hîc agitare feras:
Quis te, quis comites hac Muſas ſede fugauit?
Quis ferus æquauit tecta ſacrata ſolo?
Hæc & plura queror: dubio cùm prodita ab ore
Auribus excipitur vox inopina meis:
Pythonen hîc quōdam prægrādi corpore monſtrū
Confecit iaculis victor Apollo ſuis.
Barbarus hunc rurſum, nil tela moratus & artē,
Eiecit Python hac regione procul.
Heu fuge Pythonem tetrum, fuge barbara regna,
Eſt alio Phœbus, quem ſequere, ipſe loco.
Territus extemplo, quiſquis fuit ille, loquentem
Deſero, & ancipitem per iuga prendo viam.
Ille refert Phœbi ſedes comitesq́ poëtas,
Quos fuerit cunctos longa referre mora.
Cuius erat nomen, cuius mihi cognita Muſa,
Arconate, tui mentio facta ſubit.
Quòd variāte lyram Phœbaam pectine verſans,

Non minimum mereas Vatis habere locum.
Præſta agè te dignum vatis tituloq́ locoq́,
Ingenium cui dat Cypris, Apollo lyram.

VIRTVS VEL IN HOSTE PROBANDA.

LAVDE *ſua nunquam virtus priuanda: ſed hoſtis*
Si virtute valet, laus & in hoſte valet.

IACOBO CRITONIO SCOTO, &c.

FAMA *tui primò viſa eſt mihi fabula: famam*
Certa fides ſtabilit.
Scis quid agam? ſtupeo, fixiq́ in dotibus hærent
Mens oculiq́ tuis.
Et quis non ſtupeat, ſimilis cùm nemo repertus
Vix hominum fuerit?
Ergo aut numen habes, humano corpore tectum,
Aut tu numen eris.

IEREMIÆ SENGIO PATAVIO ABEVNTI. S.

VIx *bene amicitiæ facimus primordia noſtræ,*
Cùm, Salue atque Vale, dicis amice mihi.
Dixero: Siſte gradum, tempus nos iungat amicos
Longius: at tempus te vocat inde tuum.

Ergo iterum ſalue mihi Sengi, iterumq́ valeto,
Dux Deus & vitæ ſit tibi, duxq́ viæ.

HIERONYMO ARCONATO.

QVOD *lædi Idalio ſis arcu natus: ab illo*
Non inconueniens omine nomen habes.
Teſtimulans arcu natus Cythereïdos, arcus
Arconate docet commemorare ſuos.

IN MVRATHEM EPIMETHEA.

AD

NICOLAVM REVSNERVM IC. & Com. pal.

FAMA *data cladis Turcis in Pannone terra*
Murathi bilem mouerat antè grauem:
Cùm capere arma ſuis indicit, & imperat arma,
Deſignatq́ duces, ſpirat & ore minas.
Mox vbi rem vireſq́ ſuas metitur, & hoſtem
Nec ſine præſidiis, nec ſine corde videt:
Et bilem & mentem mutans Epimethëus, iſto
Stultitiam facto prodidit ipſe palàm.

DE BASSA BVDENSI ABROGATO.

AD

HARTMANNVM WOLFIVM, auunculum ſuum.

PRÆFICIT *Imperÿ rebus Sultanus & armis*
Chriſtiadum ſobolem:

Fratribus vt noſmet noſtris oppugnet, & orbem
Milite tentet eo.
Rarò conſiliis, bellis vel honoribus ipſos
Turcigenas adhibet.
Hinc rarum, Baſſam genitum propagine Turca,
Hunc tenuiſſe locum.
Baſſa tamen tanto deiectus munere, baſſum
Nunc tenet iſte locum.

ADVLTERIVM PVNITVM IN QVODAM CZAVSCH ET VXORE iudicis cuiuſdam.

AD

NICOLAVM ENGELHARTVM.

AVLICVS *alterius lectū temerabat adulter,*
Et res indiciis illa retecta fuit.
Eſſe coercendum facinus, pœnaq; piandum
Lex ait: & capitis pœna ſtatuta fuit.
Gratia non illum, non interceßio crebra,
Non illam precium, nec ſua forma iuuat.
Supplicio ſed furca virum ſuffocat acerbo,
Illaq; littoreo gurgite merſa perit.

MERETRIX CASTIGATA.

FVRTA *per illicitū Veneris patrabat amorē,*
Nec ſua cælabat fœmina furta ſatis.
Hanc bouis inuectam tergo caudamq; tenentem
Mandarat iudex vrbis obire vias.

Vtq́ erat illa grauis membris, & corpore obeſo,
Bos tergo inſuetum ferre reſiſtit onus.
Bubalus inq́ locum ſcorto ſupponitur ingens:
Sic riſus cunctis, & pudor intrat eques.

GRÆCVS PÆDICO.

IN *puerum (ſcelus heí) præpoſtera fortè libido*
Impulerat Græcum relligione, virum.
Prenditur: & ſæuo ni malit perdere vitam
Supplicio, hortantur mutet vt ipſe fidem.
Fit Turcus, turpisq́ cutem præſtringere membri
(Eſſe reuellendum neſcius inde) ſinit.
Mox qua peccarat, mutilatur parte pudenda:
I, repetas ſpurcum pedico ſpurce nefas.

MATRIMONIVM TVRCORVM.

AD

BALTHASAREM AB HERDEN, M.D.

VXORES *quotcunq́ lubet lex ducere Turcis*
Permittit: legem tu Mahomete dabas,
Non tamen hanc hodie, ceu vulgò creditur, ipſi
Obſeruant Turci, quam ratio ipſa fugit.
Vna ſed eligitur, licèt ore incognita ſponſo,
Sub veloq́ equitans hunc ſolet ipſa ſequi.
Hanc & amare decet ſolam, vetitusq́ virorũ eſt
In ſeruas (prægnans ni foret vxor) amor:

Quem ſi deprendit (ceu ſunt diuortia crebra)
Tunc impunè viri deſerit ipſa torum.
De tot pellicibus ſola quæ coniuge gaudet
Cæſar: at hunc libito quis volet igne frui?

IN NATALEM FRANCISCI HIPPOLYTI HILDENSHEIM, M. Doctoris & P. L.

QVÆ, *Frãciſce, tibi natalem contulit ortum*
Sacra dies Phœbo eſt Pieridumq́ choro.
Sacra ſimul Veneri, tibi ſacra caducifer Herme
Præſentum charitum conſcia & illa dies.
Hac Muſæ: Puer hic Parnaßi montis alumnus,
Nempe hic noſter erit: concinuiſſe ferunt.
Hac Phœbus: puero venam aſpirauit amœnam,
Arte potens medica tu quoque (dixit) eris.
Sed Venus: Hic veſter licèt eſt, cantabit amores,
Spirabuntq́ ſales ipſius ora tamen.
Contulit hinc Hermes felici ſidere acumen,
Aptauitq́ lyræ ſuauia plectra manu.
At ternæ charites fouerunt vbere natum
Molliter, ac facili detinuere ſinu.
Ergo ſacram celebrate diem Muſæq́ Venusq́,
Tuq́ Hermes & Charites, tu quoque Phœbe pater.
Hæc tibi læta dies redeat, Franciſce, ſubinde,
Hæc famam & titulos augeat vſque tuos.

AD MATTHÆVM STVFF, IC. ET BARBARAM VNGELteriam Sponſos.

BASIVM NVPTIALE.

QVI tædas adeunt nouas vocati,
Illi dona ferunt, & vſitata
Pro veſtri thalami ſalute vota.
Pro donis ego nunc & vſitatis
Votis dedico Baſium iugale,
Quod vos perpetua fide, quod arcto
Iungat fœdere, nutriatq́ amorem.
Nam ſi baſiolis torus ſerenis
Certabit, torus hic erit beatus,
Et concors, placidaq́ lætus aura.
Hinc cùm fortè malum (quod abſit) vrget,
Id coniux ſuperat ferendo vterque,
Alterq́ alterius leuat dolorem.
Sed dicis: Mihi Baſium quid offers,
Vltro baſia qui dedi daboq́?
At quæ Baſia ſola tu dediſti,
Hæc rurſum capias refuſa ab illa,
Quæ ſola eſt tibi cauſſa baſiorum.
Ergo baſiolis ſubinde lætis,
Pulcris, dulciculis, venuſtulisq́
Sponſi ludite: ſicq́ baſiorum
Luſus blandiculos ferat puellos,
Idem blandiculas ferat puellas.

TRIPVDIA
AD
NICOLAVM ENGELHARTVM.

MOS ſaltare viris non eſt, ſolæq́; puellæ
Excluſis maribus tale ſequuntur opus.
Siue etenim tedæ, ſeu circumciſio feſtum
Efficit, hunc ludum gens muliebris habet.
Tunc iuuat alternis canere ac ſaltare puellas,
Ad ſaltusq́; manu plaudere vtraque ſimul.
Hi ludi ipſarum, hæc ipſis propè gaudia ſola,
Cætera nendo domi tempora pigra trahunt.
Occluſusq́; illis parte eſt proſpectus ab omni,
Ne quà mares videant, hos & amore petant.

MANCIPIA CHRISTIANA.

DVRA quidem captis eſt ſors, duriq́; labores
Et vendi miſera conditione ſolent:
Attamen & victu ſatis & curantur amictu,
Ac rarò pedibus vincula dura gerunt.
Quin & ſeruitij completo tempore fidi,
Libertatis ij præmia ſæpe ferunt.

INSIGNA. TVRCORVM.
AD
DAVIDEM LVCANVM IC. CONSIliarium Illuſtriſſimi Ludouici Haſſiæ Landgrauij.

NVLLVS imaginibus locus eſt in Turcide pictis,
Non

Non ars Protogenis, nec tua, Zeuxi, valet.
Vlla nec vſurpant inſignia: Cuſa moneta
Cudentis tantùm nomina Regis habet.
Cornua vexillis aut turribus addita celſis,
Non ea ſunt Lunæ, pleraque flexa retro.
Nec ſceptrum, faſcéſve gerit diademaq́; Cæſar,
Harpus vt illorum eſt duraq́; claua loco.

MVSICA.

AD

FRANCISCVM BILLER-
bachum.

ORPHEA *Threiciæ matres laceraſſe ferũtur,*
Tangere qui docta nouerat arte lyram.
Artis adhuc damnum ſimul autoriſq́; canentis,
Nõ modò apud Thracas, ſed vel vbiq́; manet.
More ſuperba quidem celebratur Muſica gentis:
Dic, nobis iſthæc qua ratione ſonet?
Aſpera, diſſona, dura, ſtrepens, incondita, acuta:
Voce canant Fauni conueniente magis.

SECTA MAHOMETICA INTER TVRCOS ET PERSAS.

AD

IOANNEM SAMBVCVM, F.

SANCTORVM *ob numerum creuit diſſenſio*
tanta,

Vtraque Mahmetum gens licèt iſta colat.
Vnus apud Turcas interpres ſanctus habetur,
Huic alios addit Perſicâ ſecta duos.
Hinc odia exiſtunt vtriuſque aſperrima gentis
Bellaq́ longinquo feruida Marte vigent.

REVERENTIA TVRCORVM.

AD

RAIMVNDVM WEISS TOBIÆ F.

QVOD *nos nudato capite, illi corpore præſtãt*
Inflexo, & tactis pectore, fronte, labris.
A læua conſiſtit honos, equitanteq́ dextrum
Rege ſolet ſummus cingere Baſſa latus.

TVRCI INERMES AMBVLANT.

NON *harpes geſtant vrbis per compita Turci*
Pompa niſi celebris cùm peragẽda venit.
Hinc neque ſeditio, neq́ rixæ, aut iurgia ſurgunt,
Rara quoque exiſtunt furta neceſq́ virûm.

FINIS.

HENRICI
PORSII IC. POETA.
AD
NOBILEM AMPLISSIMVM ET CLARISSIMVM DN. SIGISMVNdum ab Oed IC. Sac. Cæſ. Maieſtatis Conſiliarium & Cancell. in excelſo Regimine inferioris Auſtriæ, nec- non Viennenſis Archigymnaſij Superintendentem Cæſareum.

OMNE ſub auſpicio ſuſceptum numinis almi
Succeſſum ſortitur opus fineḿq; ſecundum.
Haud noua res iſthæc, fidei nec propria noſtræ,
In partes operum diuinum expoſcere numen:
Sacra ſed antiquis habita, ac vulgata poëtis,
Numinis expertes veri qui numina cœptis
Diuerſis diuerſa dabant precibusq; colebant.
Ruris opus ſcripture Maro Cereremq; Deosq;
Capripedes Nymphasq; vocas: docture Falerni
Prouentum, patrem, Lenæum: oleæve, Mineruã,

Arma canẽs Muſas aut Phœbũ in carmina poſcis,
Neſcius hei quos ipſe Deos, quæ numina poſcas.
Elogium dicturus ego ſtudiumq́; Poëtæ,
Phœbe poëtarum pater olim credite, num te,
In mea vota vocem? num te facunda Minerua?
Aut vos, Aonides, Parnaſsi montis alumnas?
Nec mihi Phœbe dabis veros in carmina neruos,
Nec Pallas Muſæve, haud numina, nomina tãtũ,
Artis fi[illegible] & virtutis imagine picta.
Tu mihi Christe Deus, vaſti Deus arbiter orbis,
Cuius non fruſtra colitur venerabile numen,
Imploratus ades, dextras mihi ſuffice vires,
Numine ſubuenias q́; tuo, linguam q́; gubernes.
Te duce grata canam: ſine te nil noſtra ſaporis
Nil artis fructúſve dabunt malè carmina nata.
Iam vos compello clariſsima lumina noſtri
Gymnaſii q́; aulæ q́; decus quos ſtem̃atis ornat,
Conſilium, virtus, doctrina q́; tollit ad aſtra:
Et vos, ô Iuuenes, Muſarum ſacra colentes:
Dum loquor, ac tenui depingo colore Poëtam
Haud duras præbete aures, animis q́; fauete.
Quòd ſatis ampla forẽt artis præconia noſtræ,
Et vulgata quidẽ: minùs hæc placitura verebar,
Materiam q́; magis raram tractare ſubibat.
(Nã mage rara placẽt) Sed quas amplectimur ar-
Quis laudare vetet? cũ nõ laudata ſat vnquã (tes,
Noſtra ſit, elogiis extolli digna peramplis.
Atq́; ea cùm tetricis (velut optima quæq́;) cauillis
Obuia

Obuia ſit, nec pauca rudis ludibria vulgi,
(Hei quoque doctorum) ſorte experiatur iniqua:
Vindicibus tutanda viris, atque integra honori
Reſtituenda ſuo eſt, ac digna ſede locanda.
Qui tamen hoc præſtare velit, palmamq́; cauillis
Ereptæ referat (res eſt oneroſior) artis:
Non ego ſum, non tanta mihi fiducia ſurgit,
Sat tantas partes noſtro pro Marte tueri.
Nomine qui dignis veniat tituloq́; Poëtæ,
Dicendum primò. Qui mētis acumine prompto
Admiranda mouent, altè rimantur, & arte
Condita depromunt, imitantur geſta gerive
Apta, per aſtrictos numeros phraſesq́; decentes,
Hos vatum dignos cenſemus nomine habendos.
Vtq́; hæc in veris concurrant cuncta poëtis,
Natura valeant, valeant ſimul arte neceſſe eſt.
Nam quãuis natura alias multùm adiuuet artes,
Sæpius excellens, ipſaq́; potentior arte:
Sic tamen in reliquis valet, ipſam vt demere poſ-
Solaq́; laudatos ars edat ſæpe labores. (ſis,
Exemplo ſit Rhetor. Habes qui dote loquendi
Pollet, at arte caret: non hunc manantia verba
Deſtituunt, ſonus ille ſed eſt ſine mente caducus.
Rurſus habes quē lingua premit, cui dona negata
Eloquij fuerint, verùm ars accedit & vſus,
Atque emendandi defectus ſedula cura,
Ars vt naturam vincat laudemq́; reportet.
Quem nomen vel fama latet Demoſthenis, olim

Principis eloquio, qui littora ſola frequentans,
Acclamansq́; maris fluctus, vocemq́; fatigans,
(Nā nec erat prompta lingua, nec voce venuſta)
Correxit vocem, viciumq́; id propulit vſu.
Scilicet Orator bonus is, cui gratia linguæ eſt,
Orator melior fundi præcepta capeſſens,
Optimus Orator qui iungere nouit vtrunque.
Hîc ſecus eſt: nec enim bonus ille poëta vocatur,
Cui natura ſuppetit, ars deficit: arte viciſſim
Imbutus, metriq́; tenens examen acutum,
Hunc licèt haud priuem tituloq́; locoq́; poëtæ,
Grata tamē minùs is genio ſine carmina panget.
Vſque adeò alterius nexus amat altera amicos,
Alternumq́; colunt fœdus parilemq́; tenorem.
Quodq́; vel inprimis natura requiritur, inde
Cœleſtem veteres ipſis tribuere furorem
Vatibus, ac ſacro dixerunt impete ferri:
Quo ſine Democritus magnos haud eſſe poëtas
Aſſerit, hoc dictum pariter Cicerone probante.
Iam cùm materies non omnis idonea metris,
Hóſne poëtarum numero ſtatuamus habendos,
Argumenta legunt qui non genuina, ligantq́;
Appoſitis numeris, nec non placuiſſe merentur?
Ceu rerum Empedocles, ſolersq́; Lucretius olim
Naturam ſcripſere metris: morumq́; Theognis,
Siderum Aratus opus, multiq́; hac claſſe locandi:
Quos abſque inuidia do dici poſſe poëtas,
Namque poëtarum numeris vtuntur: at ipſa

Ambi-

Ambiguum nomẽ rerum argumẽta relinquunt.
Vera quidem res eſt, in quauis arte peritum
Aut modicè vatem verſatum iure requiri.
Nõ illum Sophiæ lateat doctrina perampla,
Non illum hiſtoriæ, figmentaq́ propria vatum:
Quòd ſi aliqua fuerit medicina ex parte, vel al-
Guſtatæ leges, tantò præſtantior extat. (ma
Atq; ita cum reliquis communicat artibus ipſa,
Non habet in quacunq; locum tamen arte poëſis.
Sed dicas: Vbínam vates inueneris illos
Omnibus inſtructos iſtis quæ in vate requiris?
Artis idea mihi dicta eſt, & idea poëtæ.
Nec deſunt tales, ſi fortè exempla petantur.
Non huc accerſo veteres, quorum inclyta fama,
Scriptaq́ ſubſiſtunt laudata: ad noſtra recurro
Tempora, multorũ quippe ipſa veracia vatum,
(Si vates & non fatui plerique vocandi)
Sunt quoque ſunt hodie, qui vatum iura tuẽtur,
Quiq; opera antiquis feliciter æmula condunt,
Atque hi quàm priſci nõ laude minore vehendi,
Hocq́ magis, quòd lingua illis vernacula verba
Suppeditat, noſtris longo diſcenda labore.
Sed iã quãta cohors, ſed quãta caterua viciſſim,
Quos pruritus agit ſcribendi, inuitaq́ cogunt
Qui metra, protrudũtq́ foras, mẽdicaq́ vẽdunt,
Eq́ iſtis iuxtà vatum ſibi nomina quærunt?
Nõ ego vos iã ſtringo (abſit mihi ſumere tãtum)
Quos melior laudat doctrinaq́, menſq́, nec iſta

Immatura rapit famæ laudisq́; cupido.
Veſtra meā contra, vt reor, haud ſentētia ſtabit.
Dicite enim quæſo: Cúrnam malè noſtra poëſis
Audit? quis cauſam contemptus præbet iniqui?
Nónne hi, venalem extrudunt qui turpiter artē,
Proſtituuntq́; ſacram peruerſo more poëſin,
Exoſamq́; ſimul faciunt ipſamq́; ſuosq́;.
Ah parcamus eam meretricem reddere, & iſto
Deformare modo, probrisq́; exponere vulgi,
Priſtina cui potius laus eſt reddenda, decusq́;.
Sed quorſum hæc? Ergóne alios ſupra efferor
Sic mihi cōplaceo? ſic me facio ipſe poëtam? (ipſe?
Nequaquam. De me ſed fas modo dicere pauca.
Nec natura mihi vim carminis indidit vllam,
Nec ſtudium curæ fuit hoc puerilibus annis,
Addicto Sophiæ, ſtudiumq́; huc omne ferenti.
Sacra ſed incipiens elementa capeſſere legum,
Ceu diuerticulum aſſueui viridaria adire
Læta poëtarum, meq́; oblectare per iſta,
Carpere ſelectos flores & odore iuuari:
Mox horti fieri cultorem artisq́; placebat,
Sicq́; manum admoui, nec opus conamina prima
Segne ſequebatur, ſenſimq́; exercitus vſu
Verſiculos pepigi: quos vt cenſura benigna
Excepit, ſic illa fuit calcaris ad inſtar.
Hinc quodcunque meis largitur opinio dextra
Verſibus, aut horum ſi quid fortaſſe probatur:
Omne voluptati acceptū, quæ me impulit, omne

Iuxtà exercitio refero, cùm cætera deſint.
Nunc aliquis titulum affectatum fortè poëtæ
Obiiciat mihi, cùm minimum conſecter eorum,
Præq́ feram, digno quæ dixi in vate requiri:
O ſi dignus eram: iam ſaltem cultor haberi
Ipſe poëtarum contentus, & aſſecla promptus.
Et non eſt quòd ego cenſuræ accuſer iniquæ,
Qui multos indignè è vatum claſſe relegem.
Dicta velim dextrè recipi. Nam prima locare
Fundamenta artis, greſſumq́ intendere velle
Eſt aliud: rurſumq́ aliud ſubſiſtere primo
Limine, quodq́ rude eſt carmē, vocitare poëma,
Inſuper inſignem titulum captare poëtæ.
Ferte poëtaſtri cenſuram hanc æquiùs, autor
Cuius ego non ſum, cui me ſubmitto iubenter.
Nunc artem laudare iuuat ſtudiumq́ poëtæ.
Credita quòd diuina fuit, quòd ſacra poëſis,
Iuncta quòd oraclis, quòd & antiquiſsima, nil hîc
Cōmemorare refert. Primùm hinc immenſa vo-
Artib. ex aliis qua maior nulla redūdat, (luptas,
Nec minor vtilitas vitā promanat in omnem.
Illa vel eſt animi, vel corporis: altera vera
Ac digna ingenuo: magis altera ſerua. Voluptas
Corporis hîc non eſt ſperanda. Faceſsite molles
Phæaces, Sybaritæ ac luxu diffluа turba:
Hîc animi melior paſtus requiesq́ paratur,
Cui rigidis curis preſſo aut grauiora mouenti,
Ceu ſtudia apparent mage ſeria cætera, quænam

Commodior medicina? cibus quis ſuauior illa
Curarum certa ac lepida domitrice poëſi?
Cui pariter tanti reges inhiare ducesq́;,
Totq́; viri egregij ſoliti: gentesq́; fuere
Barbaricæ non hac alienæ prorſus ab arte.
Hæc eadem verò cùm ſit velut altera quædam
Philoſophia, hominũ quoduis genus erudit aptè,
Ac cultum vitæ communis pingit honeſtum.
Non tetrica ratione, omnes quæ penè putatur
Concomitari artes, ſed delectante citraq́;
Fel & amaritiem mentes ſubeunte libenter.
Quod magis vt clarum fiat, ſumamus Homerũ.
Nónne vel ex vno multum virtutis Homero
Doctrinæq́, & conſilij petiere vetuſti?
Nónne voluptatem? & nobis hæc ipſa petenda.
Quam vitæ partem non attigit ille poëta?
Quam non erudiit memorãda exempla figurãs?
Conſtat Odyſſeam vitæ ſpeculumq́; vocari
Exemplarq́; probum, varios quod detegit actus,
Et quo quidq́; modo deceat fierive minúsve
Inſtruit. Iliadem magno veneratus honore
Fertur Alexander, qualem verſare ſolebat,
Atque etiam in caſtris capiti ſupponere noctu
Cũ gladio: ratus arma ſimul pro corpore habenda
Proq́; animo, cuius cibus eſt ſapientia, & ipſam
A patre (nã Sophiæ pater eſt quoq́; dictus Home-
Promendã. Iliadẽ ſed & aſſeruauit in arca, (rus)
Quam gemmis auroq́; inſignem ceperat amplis
Darij

Darÿ è Gazis, iſtumq́ dicauit ad vſum.
Huius Ariſtoteles vt erat formator, eidem
Quónam ſine libros aut fructu legerit iſtos,
Euentus docuit regiſq́ illuſtria facta.
Hunc quoque Romani pueris Græciq́ poëtam,
Propoſuere ſuis ſolum ante omneſq́ legendum.
Quin ipſi aſsiduè patres tenuere, faceta
Colloquia ex ipſo ſimul inſtituere iocoſq́
Hauſerunt, nec non conſultauere frequenter
De bello, de pace, aliis & rebus agendis.
Hæcq́ poëtarum de principe dicta referri
Non minùs ad reliquos ſimili ratione merentur.
Namque epici regũ vel publica munera habentũ.
Erudiunt, velut & Tragici, per carmina vitam:
Priuatamq́ domum depingit Comicus: actus
Communis vitæ Lyricus difformiter effert.
Quãta poëtarũ modò laus, quòd ſumma ꝑ ipſos
Gloria, ſummus honos, æternaq́ fama paratur?
Dum cantant heroas, & horum illuſtria facta
Commendant libris lato volitantibus orbe:
Muſa Deos adeò, ſi fas ita dicere, fecit.
Quis Laërtiaden, quis fortem noſſet Achillem:
Aiaces quis noſſet, & Hectoris inclyta facta,
Pieris altiſoni ſi conticuiſſet Homeri?
Fama tuæ Aenea fortunæ obſcurior eſſet,
Hanc niſi diuini cantaſſet Muſa Maronis. (dam
Iã quantũ eſt, ꝙ ad hanc natura inuitat aman-
Artem? nec talis nihili eſt facienda voluptas?

Quæ fuit, aut quænam eſt modò gens tam barbara, tamq́;
(nil
Indomita aut inculta, nihil quam Muſica, quam
Ipſa poëſis (habēt alternum hæc vtraq; amorem)
Afficiat, gratoq́; trahat fera pectora ſenſu?
Quidnā aliud traxiſſe homines, traxiſſe ferasq́;
Orphea Thrëicium, ſylvasq́; & flumina cantu?
Quàm docto eloquio doctoq́; poëmate poſſe
Non homines tantùm, ſed vel miteſcere ſaxa?

Præcipuè ſacros olim coluere poëtas
Graiugenæ, & morem mox gens Romana ſecuta.
Græcia tota quidem per & oppida perq́; plateas
Carmine perſonuit, vatumq; ſacrauit honorem:
(Hei q̄ diſsimilis veteri nunc Græcia, quàm nunc
Barbara, nec linguæ retinēs monimēta nec artis)
Sed claræ, genitrix & cuſtos artium, Athenæ
In primis tenuere ſacram & fouere poëſin:
Conflua vbi populo ſtrepuere theatra frequenti,
Principibusq́; viris, nec non ſapientibus, omnes
Quos ſtudium allexit mirusq́; poëſeos ardor.
Rhapſodiq́; palàm præclara poëmata Homeri,
Decreto Hipparchi, ſolenni more canebant.
Nec minùs admirata fuit quondam Itala tellus
Scripta poëtarum, quales tulit ipſa frequentes,
Ceu cuiuis notum, neque res exempla requirit.
Hinc aliæ amplecti gentes & amare poëſin.
(Ipſa licèt ſub Marte diu caligine denſa
Obruta conticuit, fatum & commune ſubiuit

Cum

Cum reliquis,quarũ iacuit decus artibus æquè)
Cœperunt,ſenſimq́; ſacra manſueſcere ab arte.
Huic deinceps reges ipſi ſtuduere, locoq́;
Illuſtri geniti, aut claros fouere poëtas.
Mecœnas Thuſcis è regibus ortus eandem
Excoluit,vatum dignus ſub claſſe reponi.
Tu quoque Druſiade non es Germanice Muſas
Dedignatus,opus nec ſimplex ipſe dediſti.
Euripides Tragicus ſolam tibi carus ob artem
Archelaë fuit,cui munera tanta tuliſti.
Huncq́; Syracuſij propter certamine captos
Reſtituere ſuis, haud paruum munus, Athenis.
Steſichoro extruxit tẽplum ac decreuit honores
Diuinos Phalaris, qualem oderat antè, tyrãnus.
Cùi comes in caſtris fueras gratiſſimus Enni,
Te ſibi contiguum tumulari Scipio iuſſit.
Patria Mæonij vatis dubia extitit vrbes,
Quem ſibi ſeptenæ ciuem aſſignaſſe feruntur,
Smyrna, Chius, Colophon, Salamin, Rhodos, Argos, Athenæ.
Marius Archiam, quamuis alienior iſtis
A ſtudiis,facili tamen eſt amplexus amore,
Facta putans digna canturum Cimbrica laude.
Cùm magnus Thebas Macedo ſpoliaret,& igni
Vaſtaret, iuſſit tectis auertere flammam
Pindare clare tuis: Hieroni idemq́; tyranno
Gratus eras, tecumq́; alij cum laude poëtæ.
At quanto Auguſtus tractauit honore Maronẽ,

Cuius ab interitu, quod iuſſerat ipſe cremari
Autor, opus tantum ſeruauit: cuius obire
Natalem eſt ſolitus feſtiuo more quotannis:
Cui populus velut Auguſto aſſurrexerat ipſi.
Hic idem Gallum ad magnos euexit honores,
Præfectum ſtatuens hunc militibusq́; tribunum.
Ipſe ſuo Arcadius ſtatuam poſuiſſe poëtæ
Dicitur. Ampla tuo Lyrico donaria Baſſo
Veſpaſiane dabas. Statium fulgente corona
Domitiane ornas. Ter te tribuente poëta
Syllius accepit faſces, tanto auctus honore.
Qui librum ſcripſit de piſcibus ille tot auri
Accepit nummos, quot erant ex ordine verſus.
Denique barbaricam gentem produco Getarum,
Qui tibi, Naſo, obitu claudenti in partibus iſtis
Septenne exilium, ſolennia iuſta pararunt,
Magnificumq́; Tomis vltro ſtruxere ſepulcrũ.
Sic tot iam populi, tot regna, tot ampla Lycea
Sub ſpaciis Europa tuis, artemq́; ſuosq́;
Agnoſcunt, venerantur, & ipſa feracia vatum.
Quid loquor? An maior ſeqtur reuerẽtia vates?
Maior honos? an maior eos contemptus & artẽ
Probraq́; ſectantur? ſed certè aſperrima probra,
Nec noua, tẽporibus ſed & hæc iactata vetuſtis.
Nũc qualis ſtudium grauat accuſatio noſtrum,
Et quibus hæc eadem ſubnititur argumentis,
Cognoſcamus. Ait noſtræ aduerſarius artis:
Nónne, tot elogiis iam ſcilicet aucta poëſis,

Impie-

Impietate ſcatet? mores corrumpit honeſtos?
Nónne malè obtrectat, mendacia vanaq́; texit?
Primũ etenim quótnã confingunt numina, quãq́;
Ludicra, luxurioſa, proterua, obſcœna poëtæ?
Iupiter hei quoties ipſis eſt factus adulter?
Iunoniq́; ſuæ vxori pariterq́; ſorori
Succenſet, litemq́; mouet: mouet illa marito,
Huncq́; ipſum fallit ceſtum Cythereidos vſa.
Mutua alunt odia, fœdaq́; libidine Diui
Vruntur. Mars ipſe acie Cyprisq́; recedunt
Saucij, & ipſorum Phœbus manifeſtat amores,
Vulcanus vinclis innectit, eosq́; videndos
Ridendosq́; palàm Dijs exhibet: Vtq́; referti
Figmentis vatum ſunt libri, ita velle videntur,
Aut non eſſe Deos, aut debile numen eorum.
Quæ ſumma impietas, nulla & ratione ferenda
Vt quæ virtutẽ excludit, peſſundat honeſtos (eſt,
Et mores & facta, animumq́; erroribus implet,
Inſtillat vicia, atque inuoluit cladibus vrbes.
Egregium verò in Tragicis ac nobile dictum,
Quo reges cunctis præferre tyrannida rebus
Audimus. Sed quídnã aliud Comœdia tractat,
Quã ſeruorũ aſtum, iuuenum petulantia facta,
Stultitiamq́; ſenum, & ſexus muliebris amores?
Iam quódnam eſt ſtudiũ ſtudio mẽdacius iſto?
Vt nugas adimens nihil arti penè relinquas.
Aut quódnã genus eſt genere obtrectantius iſto?
Quod carpitq́; bonos, tollitq́; ſub æthera prauos.

Quis vitam innocuã atq; omni virtute nitẽtem
Socratis ignorat? quis famam & facta Periclis?
Attamen hos probris certarũt ſtringere acerbis
Eupolis & Cratinus, Ariſtophanesq; poëtæ.
Sũt certè grauia hæc, nec prorſus crimina falſa,
Autoresq; graues, quos talis opinio cepit.
Pro cunctis Plato ſit, qui de felice bonaq;
Verba politia f[illegible]erminat ipſos,
Quos fore pernicies vrbis peſtesq; putabat.
Accedunt ſexcenti alij, clamantq; profana,
Sirenum vt cantus, fugienda poëmata cuius.
Inde poëtarum vitam inſectantur, eosq;
Laſciuos turpesq; vocant, proprieq; bibaces:
Ennius vt potus dicenda acceßit ad arma,
Nec bona Flaccus aquæ potorum carmina cẽſet.
Et certamus adhuc in cœlum ferre poëtas?
Ipſorumq; artem tantis extollere verbis?
Ne tamẽ his ne quæſo animos aduertite probris,
Quæ ſi vera forẽt, quid ni damnemus & artem
Et vates? verùm melior ſententia conſtet.
Impietatis eos quòd dicunt eſſe magiſtros,
Haud ſatis oſtenſum eſt. De Diis miranda poëtæ
Finxerunt & fœda ſimul: ſed vt inde profani
Spretoresq; ſacri reddamur numinis, iſtud
Haud ſeqtur. Nec enim ſcriptis voluere, nec illud
Effecere ſuis: niſi quis ſibi ſponte profano
Dogmate blanditus famæ captauerit auram.
Nam tantùm, mihi credite, abeſt, voluiſſe poëtas

Impie-

Impietate homines ſeducere, vt optima cum
Diuini fuerint conâti exempla docere,
Et vitæ normam præceptaq́; tradere morum.
Quid ſibi feſta volunt aliud? quid ſacra precesq́;?
Quid ſceleratorum pœnæ ſub Dite luendæ?
Quídve rotæ implexi vox crebra Ixionis iſta:
Diſcite iuſtitiam moniti, & nō temnere Diuos?
Eſto, quòd inuenias ſæpe impia facta, tyrannis
Sed tribui illa ſcias, aut improbitate notatis:
Quos tu, ſi ſapies, non eſt imitere neceſſe,
Sed pœnam inſpicias aut finē, & crimina vites.
Cumq́; nihil fidei ſit dictum obſtare poëſin,
Hinc nec obeſſe bonis credendum moribus ipſam.
Laſciuos nec enim ſcurras turpesq́; probamus,
Verùm oculis remouere iubemus & auribus illos.
Arguitur mendax: ea ſed mendacia cuiquam
Noxia quis dicat? quin delectare poëtas
Ac prodeſſe ſimul, mōſtratum pluribus antè eſt.
Et maledicendi ſtudium comitatur eandem.
Sed taxare malos, viciorum & prodere formas,
Non conceſſa modò, ſed res eſt vtilis ipſa.
Cumq́; vetus quoſuis Comœdia ſtringeret, vſa
Libertate ſua, nec honeſtis parcere noſſet:
Tandem exploſa fuit, rabidusq́; reprenſus Iābus.
Si tamen hæc cenſor leuiuſcula dixerit acer,
Nec ſibi ſat factum: diſcat ſecernere abuſum
Ac vſum. Nam quæ dementia propter abuſum
Extirpare ſimul velle artem artisq́; magiſtros?

bonas artes ac res comitatur abuſus?
Quisnam artem, niſi deſipiens, æquiq́ boniq́
Damnet, auaritiam propter vel crimen agētum
Iniuſtas cauſas, qui miſcent faſq́ nefaſq́,
Candida mutantes atris, candentibus atra.
Quis laudet regem ſtolida ratione Lycurgum
Perdentem vites, ne gens foret ebria Thracum?
Multa quidem ebrietas cauſatur crimina, multa
Damna: ſed hanc vinclis pœnisq́ coërceat æquis,
Nec prorſus vini moderatum exterminet vſum.
Quāta malè ſumptis veniūt incōmoda ab armis?
Perpetuò tamē haud quiſquā interdixerit arma.
Nec laudamus eos, quos inconceſſa libido
Carpendi rectos ſtimulat reprobosq́ probandi:.
Quin laudent laudanda decet, culpādaq́ culpēt.
Obſtat adhuc nobis magni cenſura Platonis,
Et quorum ſimilis fixa eſt ſententia menti.
Qualem conſtitui ſuades, Plato docte, beata
Vrbe politiam, nec erit, nec ea extitit vnquam,
Sed qualem vacuis ſequimur ſolummodo votis.
Conſilioq́ tuo locus haud quia ceditur vllus,
Ipſe tua eiicies nequicquam ex vrbe poëtas.
Quòd ſi tantus eras vatumq́ & carminis hoſtis,
Cur vatum allegas & dicta? & lumina ſcriptis
Inde tuis addis? Cur laudas ipſe poëtas?
Quos Sophiæ appellas alibi patresq́ ducesq́?
Ergo tuo à placito diſcedimus abſque piaclo.
Plura poëtarum poterant encomia dici,

Nec fucata quidem: poterat ſpernentibus artem
Occurri grauiore ſtylo probriſq́; retortis.
Me tamen ingenium, me tempus deficit iſta
Facturum. Cumq́; huic arti per veſtra docendæ
Deſignatus ego nuper ſuffragia, ad aulæ
Munia iam vocer, à Muſis arcendus amœnis:
Pro ſtatione iſta, qua me decoraſtis honeſtè,
OEDI, *gymnaſij columen, decor inclytus aulæ,*
Voſq́; penes quos eſt illam decernere, grates
Accipite ingentes, quas lingua & pectore promo,
Vos facili obſequio, ac merito culturus honore.
Quod ſupereſt, mecum ſacros ornate, fouete,
Suſpicite, obſeruate, manu verſate poëtas:
Sic vos vtilitas, ſic vos iucunda voluptas,
Sic clarum nomen, digniq́; ſequentur honores.

DIXI.

HENRICI PORSII IC.
Poëmatum
FINIS.

Digitized by Google